DE SACRA ANTIQVITATE ET STATV ORDINIS CANONICI CVSTODVM SACROSANcti SEPVLCHRI DOMINI Hierosolymitani.

IN GRATIAM MIECHOVIANÆ Congregationis,

LIBRI TRES.

SAMVELIS NAKIELSKI S. Th. Licent.

Eiusdem sacri Ordinis in Conuentu Miechouiensi Professi, Ecclesiæ S. Heduigis in ponte Regio ad Cracouiam PRÆPOSITI.

CRACOVIÆ,

Ex Officina Francisci Cæsarij, Anno Domini, 1625.

APPROBATIO.

Ioannes Foxius I. V. Doctor, Archidiaconus Eccl: Cathedr : Cracouien: vnus ex Censoribus librorum Diocesis Cracouien: vidi & legi, de statu ordinis Canonicorum, Custodum SS. Sepulchri Dominici opus, à R. P. Samuele Nakielski S. T. Licent. elaboratum, quod in lucem edi posse, censeo allaturum legentibus non paruam antiquitatis; cognitionem. Dat. Cracouiæ, ex ædibus meis die 23. Aprilis. A. D. 1625.

REVERENDIS ET RELIGIOSIS IN CHRISTO PATRIBVS,

Almi Ordnis Canonicorũ Regularium Custodum Sacrosancti Sepulchri Domini Hierosolymitani

PRÆPOSITIS, PROVINCIALIbus, Beneficiariis, & reliquis Miechouianæ Congregationis Fratribus plurimum obseruandis.

SAMVEL NAKIELSKI, EIVSDEM sacri instituti Professus, Ecclesiæ & Conuentus S. Heduigis in ponte Regio Præpositus. Cum gratiæ Diuinæ incremento, perseuerantiam in bono.

MOrtalium ingenia, quæ non agrestia, nec prorsus abiecta videntur, PP. IN CHRISTO VENERANDI: ita natura formauit, vt singulari quadam vetustatis admiratione, & veneratione ducantur. Hinc ea, quæ à prisci sæculi hominibus, claris præsertim & illustribus, ingenij monumenta, vt poté tabulæ, ima-

gines, colossi, publicaq́ alia instrumenta, profecta vel vsurpata, ad nostram vsq́ ætatem perdurauerunt, multo plurisfacere consueuimus, quam quæ, vel præsentis æui, vel proximè exacti, industria protulit & elaborauit. Neq́ id merito; cum enim fluxa sit & caduca omnium sublunarium condicio, & subindè pereuntibus alijs, alia succedant; hinc fit, vt res quæ temporum omnia consumentium, iniquitate superata quasi deuicto longo sæculorum decursu, infinitos fortunæ fluctus euaserint, animos etiã nostros iucundo quodam sensu afficiant. Nam varia præteritorum temporum euenta, quasi quoddam vitæ humanæ theatrum exhibent, ex quo luculenta documenta, ad præclaras quasuis actiones suscipiendas vtiliter petuntur, magisq́ & efficacius præteritis, quam ijs quæ oculis nostris obuersantur, erudimur. Certè elegans est illa Plinij maioris sententia, quam ille in Proemio Librorum de naturali Historia scriptam reliquit: Res (inquit) ardua, vetustis nouitatem dare, nouis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus verò naturã, & naturæ suæ omnia. Hæc ille. Vt autem natalis soli dulcedo omnibus est

Plinij ædi elegans dictũ

gratior

gratior, præsertim in eodem educatis & enutritis, sic earum quoque rerum notitia impensius delectamur, quæ nos de maiorum nostrorum, à quibus ortum traximus, aut in quorum loca, possessiones, & munia successimus, priscis institutis, laboribus, casibus denique tum prosperis tum aduersis, instruit, quippe quod illorum laudis & gloriæ, fælicitatis vel infortunij pars in nos quodammodo redundare videatur. Quarum rerum consideratio REVERENDI *Confratres, ita animum meum accendit, vt de prisci instituti Canonicorum Hierosolymitanorum, ad custodiam SS. Sepulchri deputatorum, prædecessorũ nostrorum, nominis & originis splendore pristinæ luci restituendo, cogitare cœperim. Profuit namq; semper, (vt non ineptè quidam dixit) vnicuiq; sua non ignorasse principia,* August: Mãtuan⁹ in suo Apologetico. *horum enim cognitio, non tantum ad imitationem suorum progenitorum, verum etiam ad maioris gloriæ decus parandum, excitare solet. Etsi autem non ignorem, multos ante me clarissimos viros, hoc in negotio egregiam posuisse operam. Inprimis verò celeberrimum illum sanctitate & doctrina virum Iacobum de Vitriaco, in terra sancta Legatum, postea Aconensem Episcopum,* Iacobus in sua Historia Hierosolymitana abbreuiata. Auctiorem videre est editionis Duacensis.

Mare oceanum omniũ Religionum Syluestri Maruli Abbatis Roceamatoris Ordinis Cisterciensis.

tandem Patriarcham Hierosolymitanũ & S.R.E. Cardinalem; Posthunc verò Syluestrum Marulum Abbatem Roceamatoris Ord. Cistercieñ. hominem in perscrutandis omnium penè Religiosorum sacris familiis, alioquin solertissimum; Qui sacræ Congregationis huius originem, atq; progressus, ea qua potuerunt fide maxima, diligentiaq; prosecuti sunt. Et cum à plerisq; alijs, quos recensere longum esset, idipsum factitatum videam, à nemine tamen ipsorum, ita præclarissimi ordinis res gestas, & vetera instituta descripta inuenio, vt satisfaciant ijs, qui hæc sibi vberius ex fide publica referri postulant. Quales ego vos Reuerendi Patres esse censeo, qui multiplicibus Sacri Ordinis, quæ penes vos sunt, diplomatibus instructi, arctioribus aliorum Commentarijs minimè satiari potestis. Proinde vt vestro hac in parte desiderio respondeam, & nostri inprimis summi ex Ordine Præsidis, Illustriß: D. MATTHIÆ LVBIENSKI nusquam satis laudati Episcopi Chelmensis quem diuina bonitas tot præclarissimis ornamentis insigniuit, vt Ordinis nostri decus, & ornamentum meritò appellari possit, voluntati morem geram; Hæc ipsa Ordinis nostri initia, proba-

tissimorum authorum scriptis, ac certissimis Ordinis instrumentis plenius informatus, pro virili mea, ad pinguiorem mineruam reducere, & ab obliuione hominum vindicare constitui. Quod vobis inprimis non ingratum fore iudico, qui hæc aliquando in publicum proferri postulastis. Agnoscetis siquidem hinc Religiosi Confratres, instituti vestri prima in cunabula; Cernetis insignes Ecclesiæ Hierosolymitanæ, qui Ordinis gubernacula tenuerunt, summatim hic collectos viros, quanti olim in Ecclesia Dei extiterint. Videbitis primos Ordinis in hoc Poloniæ Regno Fundatores, quorum fuit excelsus mundi contemptus, vberrimus posteaquam mundo nuntium remiserunt pænitentiæ fructus, religiosa frugalitas, assiduum orandi studium, & indefessus querendæ ac parandæ salutis humanæ labor. Idcirco à multis expetiti, ad sublimes quosuis Sacerdotij gradus & dignitates, inuiti licet, euehebantur, & in plerisque Diœcesibus curæ animarum admoti, munus illud Apostolicis viris dignum, summa cum laude obibant. Cognoscetis denique hinc vestram vocationem, & eius excellentiam: Nam præter id, quod cum alijs præclarissimis Ordinibus commune habe-

tis, quod nempè contemplantis simul & agentis vitæ institutum complexi estis, ita vt vita vestra, quã ducitis, ex vtraque illa contexta sit; Ipsa inprimis Ordinis antiquitas, quam ab Apostolis recta linea trahere vos rerum Ecclesiasticarum scriptores firmissime astruunt, celebriores vos reliquis reddere videntur: Quantò enim sacer ille Apostolorum Senatus, aliorum Sanctorum Patrum Collegio, præstantior extitit, tantò & illorum institutum, quod vos profitemini excellentius procul dubio cæteris reputari debet. Quid titulum commemorem? An non hic etiam insignes vos & honorificentissimos apud omnes facit, dum Canonici & Custodes SACROSANCTI SEPVLCHRI *Domini censemini. Quemadmodum enim ille Sanctissimum suum Sepulchrum, toto orbe terrarum, statim à temporibus gloriosissimæ Resurrectionis suæ, (iuxta Prophetæ Diuini Vaticinium,* Et erit sepulchrum eius gloriosum) *perpetuo clarissimum fecit; ita Canonicos & Custodes eius, licet ob tyrranidem barbarorũ à custodia illius nunc remotos, ob reuerentiã Sepulchri sui, claros, honoratosque, ad finem vsque mundi, peculiari gratia sua reddet. Non refero dignita-*

Isaiæ 11.

tem,

tem habitus vestri Clericalis, qui à foris cruenta CHRISTI Cruce insignitus, summã venerationem cunctis ingerit, qui hoc labarum cælestis illius Imperatoris, quo aduersus Dæmonas, mortemque generosissime depugnauit, in vobis contemplantur. Sic à Duce strenuo arma relicta, ijs qui ea deferunt, honorem parere consueuerunt. Et quemadmodum Iulij olim Cæsaris tunica, coniuratorum mucronibus confossa, & dictatorio sanguine cruẽtata, pro rostris ostensa, ad commiserationem occisi Principis populum commouit; Ita hæc Sacratissima insignia in vobis conspecta, cunctos CHRISTI fideles, ad recolendã passionem salutiferam, quam pro membris suis caput nostrum pertulit, excitat & accendit. Macti proinde estote animis præstantissimi Canonici, mentem generosam excitate, primæuumq́ illum Ordinis vestri florem, quantum in vobis est restituite,

Officio nec vos certasse priores
Pœniteat.
Manet cælo promissa merces.

Et qui Apostolicam vitam suscepistis, Apostolorum doctrinam, & mores, conuersationemq́ imitemini. Non sit vobis leuis vel exigua proprij status æstimatio, nam quod experientia didicistis, qui à proprio

instituto rectè suscepto, animo vel opinione deflexerunt, non solum perfectionis iacturam fecerunt, verum etiam parum fælici exitu vitam finierunt. Vobis igitur iucundissimis Fratribus meis, ex vno Canonico ordine & Congregatione Hierosolymitana professis, de eodem ordine & congregatione hic Cōmentarius æquissimo iure debetur. Nam sicut de eiusdem Almi Ordinis dignitate ac præstantia, qui in leges & Canones ipsius iurauimus gloriari licet in Domino; Sic æque nitendum nobis est, vt hæc sancta Congregatio, in dies maiora splendoris & authoritatis incrementa ex nobis sumat. Tribus vero Libris diuisum atque distinctū hoc opus potissimum esse volui: quod veluti trinam plantationem hic nobilissimus Ordo habuerit. Antiquam, ab ipsis Apostolis insitam, de qua in primo libro. Nouam quando recuperata Terra sancta de manibus barbarorum, iterum Canonici cum Patriarcha sedibus antiquis fuerant restituti, de qua in secundo. Nouissimam, quando fausto omine in Poloniam, & exinde per vicina regna fuerunt deducti, de qua in tertio libro agemus. His addetur series & successio Præpositorum Miechouiensium, almi Ordinis

Vicepatriarcharum Hierosolymitanorum, Præsidum. Sit itaque perpetuum pignus amoris & obseruantiæ erga vos meæ, hic quem, Vobis dilectissimi Confratres, de Ordine dicare decreui, libellus. Et si alicui hac in parte minus quam rei & materiæ grauitas postulat, à me satisfactum videbitur, animi saltem promptitudinem & debitam erga Sanctissimam Religionem, Matrem communem, obseruantiam, boni consulat. Feci enim quod potui. Illud perinde doctissimi cuiusdam in animum reuocans.

Spero etiam fore, cum quæ nos extrudimus ipsi.
Olim aliquis Diuis & Musis charior ipsis.
In melius feret, atque impensiùs arte polibit
Et quæ iam nostro primo patefacta labore est,
Mollius ille viam solidabit marmore secto
Mi sat erit specimen clari monstrasse laboris. Hieronym⁹ Vida Cremonen: Canonicus Regularis Albæ Episcopus.

Valete in Dño, & me vestri studiosum, ac vestrorũ in aggregandis, cumulandisque religiosarum virtutum thesauris incrementorum cupidum, mutuo amore complectimini.



QVæ precium vitæ, quæ nostræ est ara salutis,
Et quam Regum Aquilæ, Sceptraque magna colunt.
Vestibus hæc vestris Solymæ persancta propago,
Atque vetus Christi & prima Columna Domus.
Mentibus atque simul vestris Crux sancta rubescit,
Vltimus & primus totius orbis apex.
Florete æternùm, & postquam splendescet in alto,
Huc vester portus suntoque perfugia.

Albertus Bieniasłius Præuorsc: eiusdem S. Instituti Professus Vic: Chelmensis.

DE SACRA ANTIQVITATE ET STATV ORDINIS CANONICI Sacroſancti Sepulchri Hieroſolymitani

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Cleri per vniuerſas Orbis partes ab Apoſtolis primæua inſtitutio, & de primo Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopo eiusq́ Clericis.

ANtiquitatem Canonicorum Regularium, Cuſtodum SS. Sepulchri Domini Hieroſolymitani, ſtatumq; illorũ deſcripturus; pauca de origine Clericorum primæuę Eccleſię, qualiter cũ plenitudine acceptæ à CHRISTO Domino authoritatis per Apoſtolos in vniuerſo propè orbe inſtituti fuerint, antequam ad noſtra deſcendero, in genere præfari libuit. In Exordio naſcentis Eccleſiæ, poſteaquam Redemptor, conſummato redemptionis noſtræ Myſterio, cælos aſcendiſſet, & credentium numerus magis magisque augeretur.

Ne quid inordinatum in Eccleſia CHRISTI eſſet, duo Ordines Chriſtianorum, authore Spiritu ſancto, ab Apoſtolis conſtituti eſſe leguntur, Clericorum ſcilicet & Laicorum: quos Ordines D. Hieronymus, duo genera Chriſtianorum compellat. Clerici illi dicebantur, qui de ſorte Domini electi, munus & miniſteriũ diuinum in Eccleſia exercebant. Laici, qui de fidelium vniuerſitate exiſtens, nullo Sacro miniſterio fungebãtur; quibus tamẽ omnibus tàm Clericis, quàm Laicis, quemadmodum Acta Apoſtolorum teſtantur; *Erat cor vnum & anima vna in Domino.* Porrò primi Clerici, vt teſtis eſt Euſebius Cæſarienſis, imò tota Catholica antiquitas, perfectiſsimum viuendi modum, ab Apoſtolis acceptum, fideliſsime in omnibus obſeruabant. Non enim illi nuptias, non ſobolẽ, non ſubſtantiam, non opum facultatem requirebant; ſed ſoli Diuino cultui, ex immenſo rerum cæleſtium amore addicti, vacabant. In laicis remiſsior erat atque humanior vitæ modus. Quos quidem Clericos, ab Apoſtolis in omnibus propè Orbis vniuerſi Eccleſijs primitus inſtitutos fuiſſe, ſcriptores Eccleſiaſtici recenſent. Nam quidem S. Ioannes Epheſi, S. Andreas in Achaia, S. Matthæus in Ætyopia, S. Simon in Ægypto, S. Iudas in Mezopotamia, S. Philippus in Scythia, S. Bartholomæus in Armenia, S. Thomas in Perſide, & inter Medos, Parthos, & Brachmanos, S. Barnabas in Cypro, vna cum tabernaculis pietatis à ſe conſtitutis, per impoſitionem manus, Clerum ordinaſſe memoran-

D. Hieron: c. Duo ſunt. q. 1. & c. Cleros. diſtin: 21

Acta Apoſt: c. 2. & 4.

Euſeb: in li. de Euangelica demonſtratione.

Petrus Cotonus inſtitutionis Catholicæ. lib: 2. cap. 21.

moran-

morantur. Sic D. Petrus Romæ & D. Marcus in Alexandrina Ecclesia, ad quem Canonici Lateranenses, vt vult Signius. Et D. Iacobus Minor Hierosolymis, ad quem Canonici Hierosolymitani primordia instituti sui referunt, sacri Cætus primi institutores & cõditores fuisse deprehenduntur. In quibus Ecclesijs, Regulæ & traditiones Apostolicæ, per Clerum à se ordinatum, primum obseruatæ leguntur; hi enim soli, sine scriptis, in cordibus tantum exaratam Regulam Apostolicam profitebantur, à quibus deinceps, reliquas Ecclesias ex Regula viuendi morem sumpsisse, illamque in Codices retulisse, Petrus Damianus Cardinalis pius testatur. Veræ antiquitatis peritissimus indagator D. Hieronymus ad Paulinum scribens, non minùs doctè quàm pulchrè originem Cleri Apostolici his verbis ostendit. Habet (inquit) vnum quodq; propositum Principes suos. Romani duces imitentur Camillos, Fabritios, Regulos, Scipiones. Philosophi proponant sibi Pytagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Pòëtæ, æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Oratores Lysiam, Demosthenem, Grachos, Tulium. Episcopi autem & Presbyteri habeant Apostolos & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Sed relictis interim reliquarum Ecclesiarum progressibus atque institutis, quantum attinet Ecclesiã Hierosolymitanam, de qua nobis in præsenti res est, huius primum Episcopum fuisse D. Iacobum Alphæi filium,

Signius de Ordine & statu Canonico Lib: 1. c. 3. fol. 25 Volaterranus Lib: 1. Antropologiarum Ordinem Canonicum Hierosolymis in Monte Sion primitus institutum, à D. Augustino deindein stauratũ fuisse profitetur

lium, cognomento Iustum, quem Paulus ad Galatas scribens, Fratrem Domini appellat; Mater siquidem eius Maria, soror fuit sanctissimæ Virginis, non germana ex Anna, sed consobrina ex sorore Annæ genita, quam passioni Saluatoris interfuisse, sermo Euangelicus testatur. *Erant*, inquit, *& mulieres à longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi Minoris, & Ioseph mater*, nemo est qui id ignoret. Ipsum omnes, tam pro illius nimia sanctitate, quam pro saluatoris consanguinitate, Apostoli honorabant, & de diuersis regionibus, dum ad prædicandũ dispersi essent, ad ipsum velut ad Patrem opportunis temporibus recurrebant, necessariasq; consultationes, ab ipso, vt à magistro, prout ratio deposcebat, humiliter flagitabant. Eum Chrysostomus à D. Petro Apostolorum Principe, antequam Hierosolymis Apostoli discederent, ad prædicandum gentibus Christi Euangelium, ordinatum fuisse Hierosolymorum Episcopum, his verbis recenset: *Si quis à me percunctaretur, quando Iacobus sedem Hierosolymitanam accepit, responderem ego, hunc totius orbis Magistrum præposuisse Petrum.* Vnde merito à Sanctis Patribus Ecclesia Hierosolymitana, mater omnium Ecclesiarum, origine scilicet & tempore, atq; perindeSchola fidei nostræ, præcipuum Christianismi Sacrarium, & princeps Academia appellatur. Quia ibi

Marc: 15. Matt: 27. Ioan: 19.

Chrisost: in Ioã: Hõ. 87.

Theodoret⁹ lib: 5. c. 9. Epist: Sinodali Constan: Oeconom. Boskhier⁹ in oratore terræ S. Philip: 2. fol. 34

primùm nouellam plantationem fidei Christianæ, initium sumpsisse, compertum habetur. Cur autem Christus Dominus, primarium Ecclesiæ suæ thronum, Hierosolymis minimè constituere voluerit? Sacrarum literarum periti, huius rei rationes asignant. Primò; Quòd propter Iudaici populi perfidiam & scelera, eã paulò post à fundamentis euersurus esset, quod citra dispendium nouellæ plantationis, vix contingere potuisset. Secundo; Quòd primatus Sacerdotij Leuitici fuerit ibi locatus, hoc verò iam à morte Christi Redẽptoris omninò tollebatur, & in eius locum Ecclesiasticus Christiani populi Ordo, Ceremoniæ, Ritus, Liturgia succedebant; ac proinde domicilium quoque ipsum omninò mutari decreuit, vt cuncta essent noua, ne Synagogæ aliquod superesset vestigium. Tertio; Ne Ecclesiæ locus, videretur necessariò Iudeæ confixus & alligatus. Quarto; Ne gratia conclusa & circumscripta putaretur, vt olim, Iudeæ limitibus, sed potiùs sparsa per vniuersum orbem; gentibus eius participibus atque cohæredibus. Quintò; Vt implerentur Prophetiæ canentes: Deum suo Christo daturum gentes in hæreditatem, & in possessionem terminos terræ, effecta Ecclesia ex Iudaica Catholica, id est, ex vniuersali Iudæorum atque gentilium cœtu collecta. Porrò primi Clerici Hierosolymis à Iacobo Apostolo instituti, & ab eodem vitæ Apostolicæ normam edocti, quam vt superius attigimus, sine scriptis, in cordibus imis repositam profitebantur, ad posteros vsque

Gilb. Gen: Chron. li. 3. fol. 362.

constantissimè & incorruptè propagasse feruntur. Ad quos S. Clemens D. Petri successor, scripsit Epistolam, admonens eos communis Sodalicij, & ne ab Apostolicis regulis à quopiam auelli se patiantur. Nicephorus Calistus Ecclesiasticæ Historię Scriptor insignis: cùm ad institutum Cleri Hierosolymitani descendisset, miram illius, pro illo tempore perfectionem, quã ab Apostolis proximè hauserãt, his verbis recenset: Simul, inquit, eisdem in ædibus viuunt, re nulla, quæ homines in terram deprimit, distracti: apud hos neq; aurum est, neque aliud quodpiam metallum, sed neque vestis alicuius propria, neque rerum aliquarum quidquam, quod ventrem demulceat: quod namq; hodie τριβώνιον. id est pallium, hic fert, eo cras alium indutum conspicias, adeò vt vnius vestem vnam omnium, & rursus omnium vnius esse putes. Omnibus autem communis proponitur mensa, communes itidem eis sunt ad Deum supplicationes & preces, quas interdiu, & sæpè etiam nocte tota, cum timore, habitu, statuque corporis, submisse peragunt. Hæc Nicephorus. Et si autem nullibi inueniatur, vt clerici primitiuæ Ecclesiæ, ad tempora S. Augustini vsque expresè profiterentur; multa tamen, inquit Angelicus Doctor, per Apostolos facta fuerunt, quę non reperiuntur scripta. Et Distinct: 38. Artic: 2. qu. 3. arguit: Quod antequam essent hæ Regulæ quæ nunc sunt, erat aliquis modus viuendi ab Ecclesia probatus, quo aliqui ad tria essentialia se obligabant, & tunc temporis obli-

D. Clemens Martyr Epistola 5. Nicephorus Eccl: Hist: lib: 14. c. 5.

D. Thõ: Aq. in 4. distin. 14. Signius li: 1. c. 2. f. 8.

gatio

gatio ad talem modum idem operabatur, quod nunc obligatio ad certam Regulam. Additque, hunc modũ viuendi perfectioni congruum, fuisse apud primos credentes in Iudæa, maximè verò Hierosolymis sub Apostolis. Ex quo principio, veluti limpidissimo fonte, sacrum hunc riuulum, Ordinem, nempè, Canonicorum SS. Sepulchri Hierosolymis primum profluxisse constat.

Primorum, Christianorum religionem & Religiosorũ hominum ritus Phil: Iudæus pro'ixe recẽset apud Ioseph de Bello Iudaico Lib: 2. c. 2.

CAPVT SECVNDVM.

Grauissimorum scriptorum luculentis authoritatibus comprobatur; Canonicos Hierosolymitanos, ab ipsis Apostolis originem trahere, & à loco principali SS. Sepulchri meritò tali nomine appellari.

NOlo, quamuis mihi facultas suppetat, sermonẽ protrahere, in antiquorum Historicorum varijs monumẽtis recensendis, qui vno ore testantur; vetustissimum semper fuisse Ordinem Canonicorum Hierosolymitanorum, Sanctissimumque eorum Ducem & authorem fuisse D. Iacobum Apostolum, eumque penes illam Ecclesiam, quam Apostoli ex Cænaculo in domum Orationis consecrasse traduntur, simul cum illis cohabitasse: sufficiat mihi nonnullos posterioris temporis autores cõmemorasse. Occurrit autem inprimis in comprobationem rei assertæ, irre-

Iacobus de Viatriaco Historia Hierosolymitana abbreuiata c. 61.

fragabilis authoritas grauissimi viri D. Iacobi de Vitriaco, primũ in terra Sancta Legati, postea Aconensis Episcopi, tandem Patriarchæ Hierosolymitani & S. R. E. Cardinalis: qui præclaram narrationem de antiquitate & prærogatiua Canonicorum SS. Sepulchri Dñi instituens; illorum originem à D. Iacobo Apostolo primo Episcopo Hierosolymitano, qui pertica percussus, martyrio transiuit ad Dominum, profectam affirmat, eosq; primitus sub Patriarcha constitutos fuisse docet. Quos deinceps à temporibus Constantini Magni, ad præstantissimam à se miro opere fabricatam Dominicæ Resurrectionis Ecclesiam institutos, ibidem sedem suam habuisse, & in ea Diuina mysteria exercuisse ostendit. *In quo loco, ait, corpus Domini preciosum, cum aromatibus honorificè sepultum, vsque in diem tertium requieuit, die autem tertia resurrexit. In quo loco sancti Angeli mulieribus apparuerunt; Milites autem Sepulchrum custodientes, veluti mortui effecti sunt. In quo etiam loco, nocte Dominicæ Resurrectionis, ignis sacer descendit de supernis. Cum autem (inquit idem author) per vniuersum mundum à fidelibus dicatur; Surrexit Dominus de sepulchro qui prô nobis pependit in ligno, soli Canonici Resurrectionis Dominicæ, speciali gaudent prærogatiua dicentes, & ad oculum demonstrationem facientes. Surrexit Dominus de*

hoc

hoc sepulchro. Similiter in Euangelio Paschali cum dicitur. Surrexit non est hic. Diaconus qui legit Euangelium, digito demonstrat Dominicam sepulturam. Ita Cardinalis Vitriacus de Canonicis sancti Sepulchri.

Huius authoritatem per omnia fulcit, atq; confirmat, Ioannes Nauclerus Præpositus Tubingensis: qui primordia huius sacri Ordinis etiam ad D. Iacobum Apostolum referens, iugem & continuam successionem Episcoporum Hierosolymitanorum, Almi Ordinis (vt eius verbis loquar) Præsidum, satis dilucidè enarrat. *Cum Sanctorum, inquit, Patrum instituta comemoro, minime negligenda videtur Cruciferorũ pietas, & antiquitate & viuendi ratione venerabilis. Ex Hierosolymitana Ecclesia originem illi ducere dicuntur; Cuius quoniam sæpè status est immutatus, breuiter Præsides recensebo, in hæc fere tempora, postquam iterum à Godefrido Ecclesiæ Canonici instituti sunt.* Statimq; seriem Pontificum Hierosolymitanorum (quod etiam nos suo loco faciemus) debito ordine perstringit. Idem quoque author paulò inferius sic habet: *Ex Hierosolimis quatuor Ordines Cruciferorum originem duxerunt: Ordo Canonicorum Sepulchri Domini, qui sub Patriarcha erat. Ordo militiæ S. Ioannis, qui nunc Rhodiorum.*

Naucler. suę Chrono: volumine 2do Generat. 37. fol. 89.

Ordo Templariorum. Ordo Theutonicorum. Primi, inquit, à Beato Iacobo Alphæi, Fratre Domini, se gloriantur originem ducere. Hi deferunt in veste Clericali rubeam de serico crucem duplicem, & viuunt sub Regula sancti Augustini. Hæc Nauclerus. Ioannes Lucidus in tractatu de Religionibus, ideo Canonicos Hierosolymitanos Crucigeros appellatos censet, quod insignia eiusdem formæ, cuius S. Crux Hierosolymis cernebatur, quasi pignus cæleste, & pretij inestimabilis signum, ad pectus palam præseferebant. His adstipulatur Syluester Marulus, vir in perscrutandis omnium pene Religiosarū familiarum primordijs facile princeps; qui florentissimum olim dicti Ordinis statum, in libro quem Mare Oceanum omnium Ordinum inscripsit, prolixè describens hæc subiungit: *Nec mirum hanc Religionem, in illis partibus Palestinæ mirabiliter floruisse, si quidem ibi suam habuit institutionem ab Apostolis, præsertim à Beato Apostolo Iacobo Minore.* Et ne quis hunc ordinem, cum Lateranensi confundere velit, eximit hunc scrupulum omnibus idem author cum ait: *Quod autem hæc Congregatio Canonicorum Regularium sancti Augustini Sepulchri Domini sit distincta, & differens à Congregatione Lateranensi, ex eo manifestum est. Quandoquidem*

Syluester Marulus in Mari Oceano omnium ordinum de Cōgreg. Canicor. Regu. SS. Sepul: Hierosol. appellatorum.

isti co-

isti cognominantur Canonici Regulares SS. Sepulchri Hierosolymitani, illi autem Canonici Regulares Lateranenses. Secundo; Quia distinctum deferunt habitum, & multum inter se differentem, si quidem illi Sepulchri sancti, deferunt vestitum nigrum, & supra Rocbetam Mantiletum eiusdem coloris, in cuius parte sinistra Cruces rubeas, in memoriam Sacratissimæ Passionis Dominicæ deferunt: illi vero longè ab his diuersum. Cuius viri quanta sit in conscribendis sacris ordinibus, apud omnes, præcipue viros doctos authoritas, ita notum est, vt eius testimonio tuto quisque acquiescere possit. Consentire his videtur Basilius Serenius Mediolanensis, qui de institutione Ordinum Militarium, S. Ioannis, & S. Iacobi Compostellani verba faciens; hos non à quopiã alio, præterquam ab ipsis Clericis Canonicis, Dominici Sepulchri Custodibus, principaliter institutos recenset, dum ait: *Ipsi Clerici Canonici Domini Sepulchri custodes, iam ab initio deputati, non solùm ex Apostolica institutione, vt ex Decreto S. Clementis Martyris patet; sed ex restitutione Godefredi ac Balduini Bullioneorum, vt ex Bullis Pontificijs cõstat, & ex eis assumptus Patriarcha, tales, id est, Ordines Militares, ad peregrinorum præsidium instituerunt, quos candida lineaque cruce, veluti super*

Basilius Serenius Assertione pro Regula S. Aug. Hyponen: Clericis tradita fol: 51. & 58.

pellicei

pellicei eorum particula consignarunt, cappaq; capitulari lanea nigra, exterioribus eorum paludamentis haud absimili, additis Dominicæ passionis & redemptionis nostræ mysterijs, seu instrumentis, quæ sunt gloriosi Sepulchri trophæa eos inuestierunt, Apostolicā illis sanctissimi Patris Regulam seruandam imponentes. Sic Basilius Serenius. Vbi breui compendio, quasi vno fasce plura colligauit: nam & antiquitatem Canonicorum sancti Sepulchri lucidissimè expressit, dum illos è primæua institutione Apostolica Hierosolymis constitisse ait: & prærogatiuam: quod ex eis Patriarcha assumebatur: & quod soli ipsi Canonici SS. Sepulchri, Ordines Militares, ad securitatem Peregrinorū, primùm Hierosolymis instituisse censeantur, illosque habitu, quo ipsi peculiariter vtebantur, & Regula quam profitebantur, impertiri voluerunt. Hic quoque Author, ambas istas congregationes, Canonicos nempe sancti Sepulchri, cum Canonicis Lateranensibus (qui nunc vsitatiori vocabulo S. Saluatoris appellantur) arctiori necessitudinis glutine compingere volens, & in vnum quasi corpus redigere; asserit hos peculiari quadam affinitate, & propinquitate, ipsis Augustinianis Clericis copulari. nō solùm obedientia Regulæ, sed vel vnione, vel etiam institutione primæua; ita vt ex Lateranensibus & Sepulchri Domini Canonicis, vna resultet Religio.

Non

Non deiunt aliorum grauissimorum authorum, clarissima de antiquitate & prærogatiua almi huius Ordinis testimonia, in quibus recensendis, ne prolixior, quam par est, videar, satis erit aliorum nomina saltim hic indicare. Hi verò sunt: Vilhelmus Tyrius, Tyri Archiepisco pus historia de Bello sacro. Raimundus de Agiles Canonicus Podiensis in Historia Francorũ qui receperunt Hierusalem. Albertus Aquensis Ecclesiæ Canonicus & Custos, de Passagio, Godefredi de Bullione, & aliorum principum Libr: sexto. Fulcherus Carnotensis in gestis peregrinantium Francorum sub Anno 1099. f. 399. Marinus Sanutus Secretorum fidelium Crucis l. 3. Christianus Adrichomius in Theatro Terrę sanctę Ioannes Bap: Signius de statu & ordine Canonic lib: 1. c. 10. Orator Terræ sanctæ Philippica secunda, & in supplemento concionum promiscuarum recenter Anno 1623. editarum, f. 249. dum causas amissæ Terræ sanctę recenset. Et alij quam plures, qui eadem penè de instituto Canonicorũ S. Sepulchri allegant: vnde ad vitandum repetitionis odiosæ tędium, non duximus necessarium eorum verba recitare. Adhæc antiquus mos inoleuit, sæpè Religiones appellationem desumi solere, à loco vnde originem duxerunt, & in quo eorum institutum primitùs noscitur esse obseruatum, atque in reliquas mundi partes deriuatum. Sic Ordo Cisterciensis à Cistercio, Carthusiẽ: à Carthusio, Carmelitarum à monte Carmeli, Canonicorũ S. Saluatoris, à loco & sacello huius tituli, quod

Hic suã Historiam de sacro Bello Latinorum contra Turcas & Saracenos 84 Annos complectentem ab An: Christi 1100. vsque ad Annum 1084. prosequitur. Scripsit Historiã Orientaliũ An: 570. Acta Synodi Later. & alia quædam. Octogenariũ obijsse Anno 1219. Heroldus & Genebrad. lib. 4. tradunt.

eis primitus ad habitandum collatum fuit, quemadmodum notat Signius, nomenclaturam suam mutuarunt, Pari ratione, cùm hæc sancta Religio Canonicorum atq; Custodum SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani nuncupetur, manifestum perinde est, hanc appellationē non aliunde ei conuenire, nisi quòd Hierosolymis ad Sanct: Redemptoris nostri Sepulchrum, initium & progressum suum habuisse, templumque ipsum & Patriarchalem sedem, longissimo tempore sub sua cura retinuisse, noscatur. Sed heu aduerso reflante vento, vt nulla sub sole longi temporis fælicitas, feritate barbarica Asiaticis vndiq; occupatis Prouinciis, ipse etiam nobilissimus Ordo, qui cæteris altius in Terra sancta eminebat, cum aliis preclarissimis religiosis Ordinibus, quorum ibi frequentia erat, immani Turcarum rabie in toto Oriente funditus absorptus est. Constabiliunt præterea eandem veritatem, sacra Max: Pontificum rescripta atq; diplomata, quarum authentica documēta suo loco à nobis producentur. Semel dicam: Quicquid de Clericis Hierosolymitanis vspiam habetur, inter priscorum & recētium monumenta, totum ad huius temporis Canonicos, qui Custodum Sepulchri Dñi Hierosolymitani nomine censentur, pertinere dignoscitur; potissimùm verò ad Conuentum Miechouiē: qui caput Ordinis nunc est, & qui originis lineā continuata successione, à memoratis clericis Hierosolymitanis ducere, atq; deriuare euidenter probare potest, prout inferius patebit.

Signius l. 2. f. 207. Priuil. Greg: XII.

CAPVT TERTIVM.

Clericorum nomine Ecclesiæ primitiuæ ipsos Regulares Canonicos designari, eosque antiquitate, quosuis Clericos & Religiosos antecellere, & cur aliquando Monachorum nomine censeantur?

CAnonicorum Regularium nomen in primitiua Ecclesia minimè fuisse in vsu, vetera Ecclesiastica scripta testantur. Nā simpliciter Clerici, quasi in sortem Domini electi vulgò dicti reperiuntur: Cleros enim græcè, sors dicitur Latinè; quibus tale nomē impositum ab Apostolis fuisse, narrat Ioannes de Nigra valle S.R. Ecclesiæ Bibliothecarius, eo quòd ob terrenorum renunciationem in sortem Domini fuerunt assumpti. Vnde primum ordo Clericalis, & de hinc Canonicus in Ecclesia nomen sumpsit, vt hic ad illum referatur, tanquam sua species ad genus. Primum autem Canonicorum nomen, in Decretis à D. Gregorio promulgatis, prodijsse, refert Signius, interpretariq; debere Canonicum, quasi Fraternum Clericum, hoc est, in Canonijs sub fraternitate aggregatum, censet. Ex quo ritè Canonicos Regulares, Fratres ab antiquis prænominatos legimus, quemadmodum id clarè patet ex decreto S. Clementis Martyris, B. Petri Principis Apostolorum discipuli & successoris, qui ad suos conclericos Hierosolymitanos scribens, Fratrum nomine illos compellat. *Hortamur*, *inquit*, *Fra-*

Ioannes de Nigra Valle Epilogo Cronic: 13. c. 18. vbi de Ordinib. siue varijs Religionibus tractionem instruit.

De Origine & statu Canonic. lib. 1. cap: 2.

Decretum Clemen: 12. q. 1. cap: Dilectissimis.

tres, vt ab Apostolicis Regulis non recedatis, sed communem vitam ducentes, quæ Domino vouistis adimplere satagatis. Hinc manifestè apparet, ordinem Clericorum primitus ab Apostolis in Ecclesia fuisse institutum, quod Carolus Sigonius his verbis cõprobat: *Christianam Ecclesiam initio iam inde ab Apostolis memoria ducto, clerici tantummodo tenuerunt, qui sacra fidelibus ministrarunt.* Aucto postmodum Christianorum populo ferè in infinitum, numerus etiam Clericorum (ne ex eo iactura animarum fidelium oriretur) augendus necessario fuit. Ecclesia igitur Deo deuotos Christianos, viros solitarios, quos D. Dionisius Cænobitas, & Anachoretas, D. Gregorius Reclusos nominat; qui tamen sub nomine Laicorum censebantur, ac postea Græco vocabulo Monachi dicti sunt, in defectu Clericorum posteriori tempore accersiuit. Sed cum neque id muneris satis esse videretur, ob multitudinem conuersorum atque credentium populorum, ipsamet Ecclesia, cuius est id solius muneris, prouidere necessitati animarum, aliud Clericorum genus adinuenit, idq; permixtum, qui paupertati votum non haberent adnexũ, sed neque obedientiæ, quam non quisque in Domo sua præstare Episcopo posset. *Placuit itaque, inquit Signius, sedi Apostolicæ, quod status idem eorum sit primitiuæ Ecclesiæ, & gaudeant eorum Priuilegijs,*

Carol: Sig. de Episcop Bonon. li. 1. fol: 133.

Dionisius in Eccl: Hierarchia c. 6. θεραπευτὰς καὶ θεράποντας τοῦ Θεοῦ quasi à precandi assiduitate: &. consciẽtiæ puritate appellatos refert.

Signius l. 1. cap: 2.

gijs, ne deformaretur status Ecclesiæ vniuersalis. Quæ enim maior deformitas accidere potuisset, quam si tot populi passim & vbique pro sua necessitate vel etiam commoditate Sacramentorum & Euangelij ministros non habuissent, hinc sane tota Christianorum turbatio & periclitatio foret.

Canonicos item sæculares esse voluit, & Clericorum aliquos eius mixti generis, hoc nomine decorauit, precipuè illorũ virtutis reuerendæ gratia, & ipsismet noui Clericorum status, dignitatis ampliandæ causa, vt dentur in illis etiam aliqui gradus & tituli maioris honoris, quorum intuitu animos ad res præclarè gerendas acrius excitaret. Importatque in illis hoc nomen Canonici, non quidem expressum eius significatum, quod propriè conuenit Canonicis Regularibus, at præeminentiam quandam, & meritorũ debitam recognitionem. Verumtamen in suos primogenitos magis affecta semper atque intenta mater Ecclesia, nusquam eorum confirmationem, atque reformationem intermisit, omnesque quotidiè inuitat ad perfectionem. Vnde summi Pontifices (inquit Ioannes de Nigra Valle) in sacris Conciliis ordinauerunt, vt ad differentiã istorum illi Clerici, qui sub Apostolica professione regularẽ vitam seruauerunt & seruarẽt, non Canonici simpliciter siue Clerici, sed Regulares Canonici appellarẽtur, ab Apostolicæ regulæ professione & obseruantia. Docet præterea idem Ioannes,

S. R. E. Bibliothecarius, quòd Canonici regulares, cedunt Canonicis sæcularibus & Clericis quandoque in locis publicis, non ratione dignitatis seu antiquitatis, sed ratione capitis eorum dignioris, quod est Episcopus; & ratione dignitatis Ecclesiæ ipsorum, si est Ecclesia Cathedralis. Reliqui verò Clerici, siue Canonici Ecclesiarum Collegiatarum vel Parochialium, cedãt ipsis Canonicis Regularibus, in omnibus locis publicis, ratione antiquitatis: quia ipsi sæculares Clerici à regularibus originem habuerunt, qui relicta vitæ perfectione, cęperunt cũ dispensatione Ecclesiæ, absq; Apostolica paupertate in sæculo viuere. Et hoc patet Romæ per antiquam consuetudinem, & Apostolicas ordinationes, vbi Canonici Regulares in Processionibus & Litaniis, maximè Ecclesiarum Parochialium, præponuntur omnibus Clericis & Canonicis sæcularibus. Adhæc nota, quòd nonnunquam ipsi Canonici Regulares dicuntur Monachi, sed impropriè. Primò propterea, quòd Monasteria habitant in communi & vnitate viuentes: vnde sicut Monasterium ab vnitate dicitur, sic & Canonici sæpè Monachi appellãtur, quasi per communem vitam simul vniti. Propterea etiam Religiosi, monasteria inhabitantes, Monachi appellãtur, licet propriè non sint Monachi. Monachi etiam dicuntur sæpenumerò ipsi Canonici à vita solitaria, quam extra vrbes multoties eligunt, sicut de multis Canonicorum cœnobiis patet, quæ extra ciuitates & hominum frequentias sita sunt. Et multis præterea in

locis & historiis, ipsi Regulares Canonici, quãdoq; Clerici, quandoq; Presbyteri, quia originaliter in eis & principaliter viguit Ordo presbyteralis, à Christo & Apostolis institutus, prout iam superius deduximus, quandoque etiam Monachi appellantur.

CAPVT QVARTVM.

Canonici sancti Sepulchri cur plerumque Fratrum nomine indigitantur; quod Prænomen, ne cui contemptibile videatur, dignitas eius declaratur.

FRanciscus Gratianus in suo Compendio iuris Canonici, prout notat Marulus, discrimen & differentiam inter Canonicos sancti Sepulchri, & Canonicos Lateranenses statuens, illos vulgo nuncupari Fratres Dominici Sepulchri; istos verò Canonicos Lateranenses affirmat. Quæ denominatio, quoniam parum quibusdam apta eminentię Canonicorũ videtur, ac nimiũ contemptibilis; conuenientiam, dignitatem, atque excellentiam, qua Fratris prænomine, ac Fratrũ denominatione omnes Canonici Regulares diutina publica ac rationabili cõsuetudine, & magnorum virorũ Deiq; authoritate censentur, sacrę scripturę rationib⁹ per omnia suffulti, ex mente Ioannis Signij Bononiensis, ostendere operępretium duximus. Ac verò inprimis, qui sacras Testamenti veteris ac noui scripturas legit, passim Fratris & Fratrũ ibi nomen inueniri facilè concedet: non ad naturã ex eisdem tantum paren-

Mare Oceanum omniũ Ordinum Syluestri Maruli.

Signius de Ordine Canonic: lib: 2. cap: 5.

tibus, aut cognationem denotandam, vel gentem, sed etiam ad eiusdem religionis, & operum affectuumque similitudinem significandam. Quod olim etiam à D. Hieronymo contra Heluidium, de perpetua virginitate S. Deiparæ Mariæ notatum est. Sic natura fratres Abel & Cain, Iacob & Esau, Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes: sic Abraham & Loth, Iacob & Laban, fratres cognatione: sic omnes de vno Hæbreorũ populo, inter se fratres dicti sunt. Sic religionis & ceremoniarum communione, affectuq; pari Deum colentes, ex omni quæ sub cælo est natione, semper Fratres perquam rationabiliter dicti fuêre. Sic authoritate suprema, cælestis magistri Domini nostri IESV Christi, docemur; qui discipulis suis dixit: *Omnes vos Fratres estis, vnus est enim Pater vester, qui in cælis est.* Proinde fideles omnes in primitiua Ecclesia, vbiq; Fratres cognominabantur per lauacrum regenerationis in Baptismo. Et sæpius discipuli seipsos inuicem, & ipse Dominus IESVS eosdem appellabat Fratres. *Ite, inquit, nunciate Fratribus meis, vt eant in Galilæam.* Et alibi. *Vade ad Fratres meos, & dic eis, ascendo ad Patrem meum.* Alio quoq; in loco; *Exiit sermo iste inter Fratres:* hoc est, ad Christianos cæteros, & quod illic erat dictũ paucis audientibus, id serpsit ad plures vulgante fama. Et in Euãgelio Matt: 2. *Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis*

Matth: 23.

Matth: 28.

Ioan: 20.

Ioan: vlt.

est, ipse

est, ipse frater, soror, & mater mea est. Item capite 5. *Si recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, vade reconcilia fratri tuo.* Et capite 18. *Si peccauerit in te Frater tuus.* & infra; *Lucratus fueris fratrem tuum.* Item eodē cap. *Quoties in me peccauerit Frater meus, & dimittam ei,* dixit Petrus. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis,* dixit Iesus, *si nō remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordib. vestris.* Sufficere possunt abundè suprascripta Domini IESV Christi de suis sanctis Euāgeliis producta testimonia, quibus euidenter Fratris & Fratrum nomine denotātur ij, qui affectu cultuq; simili Deo inhærebant. Verùm ad maiorem huius prænominis declarationem, veterum quoque Ecclesiæ scriptorum authoritates in medium proferendæ occurrunt, potissimùm perantiqui Septimi Flori Tertulliani, qui circa annum Dñi 160 vixit: is enim eorundem temporum secutus morem, Christianos vocat Fratres, vt ex primo eius aduersus Marcionem libro patet, vbi ait: *Compositionē hanc quoq; nondum exemplarijs suffectam, fraude tunc Fratris de hinc Apostatæ amisi:* Hic, vt notat D. Rhenanus, Fratrem vocat Christianum. Et de Corona Militis in principio ita scribit: *Adhibetur illic magis Dei miles cæteris constantior Fratribus:* hoc est Christianis. Idem quoque in Apologetico aduersus gentes, hoc ipsum euidentius asserit, & defendit,

inquiens: *Sed quod Fratres nos vocamus, non alias opinor insaniant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen, de affectione simulatum est; Fratres etiam vestri sumus, iure naturæ, matris vnius, & si parum homines vos, quia mali fratres. At quanto dignius fratres dicuntur & habentur, qui vnum Patrem Deum agnoscunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem, ad vnã lucem expirauerunt veritatis? Sed fortaße minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragædia exclamat, vel quia ex substantia familiari Fratres sumus, quæ penes vos ferè dirimit Fraternitatem. Itaque qui animo animaq; miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: Omnia indiscreta sunt apud nos, præter vxores, illo loco consortium soluimus.* Hæc Tertullianus. Lactantius quoque Firmianus lib: 5. Diuinarum institutionum cap. 16. *Nec alia, inquit, causa est, cur nobis inuicem fratrum nomen impertiamur, nisi quia pares nos esse credimus.* Extant & aliorum veterum scriptorum clarissimæ hac de re authoritates, qui vno omnes fatentur ore, vniuersos Christianos, ad sua vsque tempora appellatos esse Fratres. Verum posteaquam familiaris substantia, particulariter cæpit vsur-

Proprietas dirimit Fraternitatem.

pari, discretaque proprietate posſideri, à Christianis quæ sua sunt quærentibus, ad latioremque licentiam defluentibus, Fratrum quoq; nomen apud eos paulatim cæpit obsolescere, & Christiano tantum nomine, quod titulum gratiæ & salutis habet, satisque etiãnum decoris esse contenti, Fratrum verò nomen illis reliquerunt, faciliuè quodam confirmationis modo concesserunt, qui Diuino sese cultui, & sua omnia, cõmunibus Fratrum vsibus, dedicarunt, qui indiuiduum substantiæ consortium tenuerunt, & ad Diuinæ Monadis vnitatem aspirauêre: vt fieret ex multorum animis vna mentis & voluntatis consensio. Quorum propositum, sanctiſsimumque institutum, & consummata vitæ virtutumq; exempla antiqui Canonici vtcunq; secuti, cum vera fraternitatis communione, Fratrum nomen celebre, sanctum, gratiosumq; nunquã abominati sunt. Illud enim ad gloriam magnam, nominibus suis propriis, quo velut splendore gauderent, humilitatis suæ tenebras illustrari, vertentes in prænomen, rationabili semper dignitate præposuerunt; constantique proposito voluerunt Fratrum pręnomine pio, sancto, celebri, atq; antiquo, humiliter in Christo gloriari. Retinuerunt perinde Canonici SS. Sepulchri antiquam fraternitatis originem veram, quæ prius fuerat Hierosolymis instituta; quavé nomenclatura vsus est Christus & Apostoli eius. Nihil itaq; nobilius eo titulo seu pręnomine, quod à Christo Domino Apostolis suis inditum, & inter fideles primitiuæ Ec-

clesiæ vsurpatum, ad hæc vsque tempora incorruptè sub omni obseruantia, ab Ordine nostro custoditum fuit. Nam & Pont: Maximi Cardinalium cœtum Fratrum nomine compellant. Et D. Augustin suo Speculo seu Regula, quam nos profitemur, cōmilitones suos passim Fratrum nomine compellat. Idem referens illa verba Psal: 132. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. *Ista, inquit, verba psalterij, iste dulcis sonus, ista suauis melodia, tam in cantico quàm intellectu, etiam monasteria peperit; ad hunc sonum excitati sunt Fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Iste versus fuit turba ipsorum, sonuit per orbem terrarum, & qui diuisi erant, congregati sunt in vnum, &c.* Et alio in loco eadem verba exponens ita inquit: *in vnum viuunt, vt vnum hominem faciant, & sit in illis vt scriptum est anima vna, & cor vnum, & multa quidem corpora, sed non multa corda.* Concludendo itaque cum Signio dicimus: Fratris prænomen esse quid generale, ad omnes Regulares; Canonicus verò est nomen speciale, declarans prærogatiuam atq; dignitatem inter ipsos Regulares. Quemadmodū enim in familijs & si multi sunt Fratres, magis tamen honorantur primogeniti, Doctores, Senatores & huiusmodi; Sic & in Religione, atque in domo Patrisfamilias Domini nostri Iesu Christi, gradus honorum, & gratiarum assi-

gnantur, his quidem superius, illis verò inferius. Non deessent nobis id genus mille testimonia, quibus non solùm Ordinis nostri professos, sed singulos ferè Regulares Canonicos, in diuersis monasterijs constitutos, huiusmodi prænomine notari debere demonstraremus, nisi iam scirem, in re notissima me fuisse longiorem quam oportuerit.

CAPVT QVINTVM.

De habitu Canonicorum Hierosolymitanorum.

DE priscorum Clericorum Hierosolymitanorum, illorum præsertim qui tempore diræ persecutionis Hierosolymis manebant, cultu & habitu difficilè est quicquam certi statuere, neque enim erat tunc ea quam nunc tenemus, Religionis forma: Sed erat cætus Deo consecratorum hominum, qui postpositis terrenis (quemadmodum superius attigimus) vitam omnem, in Deo precando ac propitiando, ex institutione Apostolica consumebant, ideò minùs illis curæ erat exquisitus ac peculiaris vestitus. Cum Apostolo potius sentiendum est, circuisse illos in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiatos, afflictos, quibus dignus non erat mundus. Posteriori demum sæculo, discretionem habituum fuisse ab Ecclesia institutam, & vnicuique Religioni assignatam legimus, vt eo facilius à populo, cuius propositi sit ge-

Ad Hebr: cap: 11.

ſtans, & in qua profeſsione Deo militet, dignoſcatur, & officij dignitatisq; ſuę admoneatur. Petrus Cotonus in ſua inſtitutione Catholica, Nicœni primi Concilij Decreto, primum promulgatum fuiſſe narrat, vt Clericorum & Religioſorum veſtimenta deinceps à cultu laicorum diſtinguerentur. Diuus verò Athanaſius Tractatu de Virginitate: Qua materia, forma, & colore conſtare debeant, diligenter explicat. Volunt nonnulli, veteres illos Apoſtolicos Clericos ad inſtar Sacerdotum & Leuitarum veteris Teſtamenti, Ephod lineo vti conſueuiſſe; illud Exodi c. 28. & 29 allegantes. Quod Deus Opt. Max. præcepit Moyſi & ſapientibus populi, vt faciant veſtes Aaroni, in quibus ſanctificatis miniſtret ſibi, inter quas præcipua eſt linea, ſic namque mandauit: *Porro filijs Aaron tunicas lineas parabis, veſtiesq; eis omnibus Aaron Fratrem ſuum, & filios eius cum eo:* Sed hoc intelligi debere non promiſcuè talibus vſos fuiſſe, ſed tum temporis tantum, quoties ad Diuina celebranda accedendum erat. Ideò additum eſt, *in quibus ſanctificatis miniſtret mihi.* Neque me illud latet de D. Iacobo Fratre Domini, primo & principali Hierarcha Eccleſię Hieroſolymitanæ, eum ſyndone ſuperamictum, ſeu lineis ſolere incedere, cùm longe diſpari cultu ſui Clerici, teſte Baronio incederent. Talem enim ad demonſtrãdum illorum veſtitum de Anaſtaſio cuſtode theſauri, (qui poſtea in Epiſcopum eiuſdem Eccleſię ordinatus

Petrus Cotonus de veſtitu Religioſorum li. 3. cap. 27.

1. Concil: NicæniCanon. 16. Arabico.

Ioan: de Nigra Valle in Epilogo Cronic: c. 18 Signius de ordine Canonico li: 3. cap: 4.

Barõ. Anal: Eccl: Tõ: 4.

fuit

fuit) ex scriptis Cyrilli Monachi inducit Historiam. *Euthimium, inquit, videre valde desiderabat Anastasius, cuius fidei credita erat custodia sacrorum vasorum sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ; cum ergo teneretur tanto eius videndi desiderio. Phido Ioppes Episcopo & Cosmæ cuius munus erat custodire Crucẽ, illam pulchram communicat cupiditatem, cumq́ eos assumpsisset, simul cum eis proficiscitur ad magnum Euthimium. Postquam verò fuerunt propè Laurã, ab aliis quidem, cum nondum peruenisset ignorabatur; Eutymio verò arcano quodam modo aperuit Spiritus. Cùm verò statim vocasset Lauræ Oeconomum Chrisippum; Sint, inquit, tibi parata, quæ sunt ad recipiendum hospites necessaria, ecce enim simul, cum fratre suo ad nos venit etiam Patriarcha. Cùm autem ipsi iam aduenissent, Diuiniore quadam contemplatione magnus correptus Euthymius, colloquebatur & disserebat cum Anastasio, tanquam cum Patriarcha Hierosolymitano. Atq; qui aderant quidem omnes admirabantur, Chrisippus quoq; ipse obstupefactus, ad aurem se inclinans Euthimij; Sed nõ est, inquit, apud nos Patriarcha, ò venerande Pater, hic enim est sacrorum vasorum custos Anastasius,*

Extant apud Surium die 10 Ianuar.

vides

vides quisnã sit eius vestitus? Ostendens eius vestes, eæ autem erãt splendidæ & sericæ, quas quidẽ, inquit, non est fas Hierosolymitanũ Patriarcham induere. Ad imitationẽ enim, inquit Baronius, primi eius Ecclesiæ Episcopi, qui syndone tantum induebatur, sancti Iacobi fratris Dñi, & ipsius Domini in eo loco crucifixi memoriam, factum est, vt Hierosolymitani Episcopi, haud circũspectè vestiti incederent, sed viliori habitu, quam illius Ecclesiæ Clerici, qui sericis etiam, vt vides, vtebantur indumẽtis. Hæc Baronius. Ex quibus facile est coniectura assequi, non vilem fuisse priscorum Canonicorum sancti Sepulchri ornatum, honestum tamen pietatiq; & sanctimoniæ congruẽtem.

Barõ: Eccl: Anal. Tõ: 6. Anno, 458. fol: 313. Episcoporũ Hierosolimitanorum. vilis vestitꝰ.

Recenset & in alio loco idem Baronius, in Orientali Ecclesia eam consuetudinem viguisse, vt Episcopi & Clerici super tunicam Birro induerentur, idq; citato ex Palladio exemplo, de S. Athanasio Alexandrino Episcopo, eum tunica birroq; vestitum fecesisse; ideq; meminisse & D. Greg: Turonensem de S. Britio refert: *Qui ardentes prunas in birro suo posuit, ad declarãdam sui animi innocentiam.* Cuius vestimenti facit celebrem mentionem Diuus Augustinus cum dicit: *Offeratur mihi Birrũ pretiosum, (nam vile & preciosum pro qualitate personarum fuisse constat, & precioso Episcopos vti solitos) fortè decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum, id est hominem*

Barõ: Anal. Tõ: 2. Anno Chr: 261. c. 42. f. 711.

pauperem, de pauperibus natum. Hæc ille. Birrum verò genus fuiſſe veſtimenti, quo cætera omnia cooperiuntur, notat Signius. Aſſeritque D. Auguſtinum non aliud nomine Birri nuncupare, præterquam cappam cum lato caputio, clauſaque ab imo ſupra mediũ parte anteriori, ad eam, inquit, formam, qua nunc geſtant Cappas ſuas ampliſsimi Patres Orthodoxi; recenſetque antiquos Canonicos Rhenanos, antequam nouo habitu lineo à Gregorio Duodecimo donarentur, & titulo Congregationis ſancti Saluatoris inſignirentur; tali Cappa nigra vſos fuiſſe, vti nunc etiam, inquit, apparet in tabulis quibuſdam Monaſterij Bononienſis, in quibus aliqui ex ipſis antiquis Canonicis repræſentantur. Multum ſiquidem valere, viri etiam doctiſsimi cenſent, ad ſincerè iudicandum ſtatuendũque de rebus antiquis auctoritatem imaginum pictarum ſculptarũue. Hoc ipſum comprobat Carolus Sigonius lib: 4. de Epiſcopis Bononienſib. cum dicit: *Singulis Canonicis per noua toga facienda, vicenos florenos tribui ſolitos, &c.* Huiuſmodi habitu olim veſtitos Canonicos Sepulchri Domini, Poloniam excepiſſe, Ioannes Długoſſus, in libro quem de Monaſterijs per Dioeceſim Cracouiẽſem conſtitutis elaborauit, memoriæ prodidit. Sic enim habitum prædeceſſorum noſtrorum deſcribit: *Notandum eſt, inquit, & pro memoria futurorum ſcribendum, quia Religio ſancti Sepulchri Domini Hieroſolymitani,*

Signius de Ordine & Statu Canonico lib: 3. fol. 259.

ſub Regula B. Auguſtini militans, habebat priſcis temporibus, habitum valde elongatum, & à moderno longè diuerſum ac religioſum. Singuli enim Fratres profeſſi Ordinis prædicti, incedebant ad inſtar Fratrum Ordinis ſancti Benedicti, tunica nigra, Cappa ſuperimpoſita, duabus Crucibus rubeis ſignata. Hæc Dlugoſsius. Eorum formam & figurã multæ imagines in altaribus & feneſtris depictæ, etiamnum in Conuentibus noſtris lucidè nobis exhibent. Simile quoque ſcriptum reperi in quodam libro de omni ſcibili intitulato, in refertiſsima Bibliotheca Academiæ Cracouienſis; vbi id habetur: *Sepulchri Domini Cuſtodes ſunt Monachi ſub Regula S. Auguſtini militantes, cum mantiletis nigris ab ante apertis, & Crucibus rubeis per lineam tranſuerſalem conduplicatis in pectore. Ideo dicti Cuſtodes Sepulchri Dominici, quia eis olim erat conceſſa cuſtodia Sepulchri Chriſti, ſed poſt traditionem Hieruſalem Mahomet iniquo, eiecti ſunt de loco, & Ordo manſit: hæc ibi.* Quod ſi quis ex eo Ordini noſtro Canonico titulum monachatus obtrudat; reſpondet pro nobis Baſilius Serenius Mediolanenſis Canonicus Lateranenſis: Nihil ſapientum iudicium hac in parte morari, quibus compertum habetur Regulares Canonicos, ſæpè Monachorũ vocabulo notari, qui nem-

pe cum

pe cum Clericali sollicitudine, monasticas obseruationes susceperunt, & qui se quoque monachorum exemplo in cænobia retulerunt, vt ait Carolus Sigonius; Diuo Augustino de illis prædicante, quod profiteantur sanctitatem & Clericatum. Pro cuius confirmatione Nicolaus huius nominis Primus Summus Pontifex pronunciauit: *Non putamus, inquit, Religiosos Clericos à sanctorum Monachorũ consortio seiungi debere.* Atq; proinde nec prædecessorum nostrorum Canonicæ professioni, Religiosam mansuetudinem obstare, imo potius maiorem exinde eminentiam ordini Canonico accedere, putandum est: satisfacit pro nobis & illa ratio Ioannis de Nigra Valle, superiori capite per nos adducta. Recentiori tandem ætate sicut in alijs obseruantijs, ita & in habitu quodammodo ordinem nostrum mutationem accepisse, & ad vniformem aliorum Canonicorum Regularium habitum reuocatum fuisse constat. Nam qui per Italiam sparsi erant Canonici Ordinis nostri, Rochetum mantileto nigri coloris desuper addito, rubea Cruce à parte sinistra insignito, detulisse leguntur. Colligitur id inprimis ex literis Iacobi de Mansuetis, Episcopi Narniensis Canonicorũ SS. Sepulchri Dominici Prioris Generalis, qui pro eo tempore Perusij residentiam habuit, quarum authenticum exemplar extat in Archiuo Conuentus Miechouien: per omnia integrum atque illæsum. Vbi inter alia post declarationem Præ-

Cap: 3. in fine.

positi Miechouiensis in perpetuum Ordinis Vicarium, dat ei omnimodam facultatem nouos Canonicos faciendi, creandi, & instituendi, eisque Rochetũ in signum Canonicatus conferendi & largiendi, iuxta normam & exigentiam ordinis, de data Florentiæ decima octaua Maij, Pontificatus Eugenij Papæ quarti, Anno quarto. A Natiuitate verò Dñi 1434. Quam facultatem, à Generali Priore, Præposito Miechouiẽsi concessam, Leo Decimus Pontifex Maximus postea peculiari Bulla approbauit, in hunc qui sequitur modũ. *Leo Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto Filio, Præposito Præpositura seu Domus Sepulchri Domini Hierosolymitani Miechouien: Ordinis S. Augustini Cracouien: Diœcesis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quam Ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem Officij nostri, ad debitum perducatur effectum. Exhibita sanè nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod alias tunc Prior Generalis domorum & Fratrum Dominici Sepulchri Hierosolymitani, Ordinis S. Augustini, ex certa eius scientia, Vicariatus officium domorum & Canonicorum, Fratrum Dominici Sepulchri huiusmodi in Poloniæ Maioris & Minoris, & Rusiæ Regnis consistentium, pro tempore existenti*

Præposito, per se vel alium seu alios, quando & quoties sibi videretur expedire, dicti ordinis Domos, Prioratus & Ecclesias tunc in ipsis Regnis constructas & construendas, ac illorum personas, tam in capite quam membris visitandi & corrigendi ac puniendi, ac absque locorum Ordinariorum licentia electiones in locis sibi subiectis pro tempore factas approbãdi, confirmandi, cassandi, & irritandi, ac domibus & locis Regnorum huiusmodi de personis idoneis prouidendi, ac eius authoritate loca & Canonicales portiones inibi erigendi, & de illis etiam prouidendi. Ac Rochetum Fratribus dicti ordinis in ipsis Regnis commorantibus pro tempore Canonicis, iuxta Regularia statuta eiusdem Ordinis cõcedendi & tradendi, responsiones quascunq; Vicario pro tempore existenti, Domorum & Fratrum eorundem debitas & in futurum debendas petendi, exigendi, ac denegantes indebite illas soluere, aliosq; quoscunq; eidem Præposito pro tempore existenti, ac eius monitis & mandatis non parentes excommunicandi, ac alijs sententijs censuris & pœnis innodandi, & si opus fuerit auxilium brachij sæcularis inuocandi, nec non de receptis quietandi & absoluendi, ac omnia singu-

la & alia quæ pro tempore ipse Prior Generalis, tam sua ordinaria quam Apostolica authoritatibus facere & exercere possit, faciendi & exercendi concessit facultatem, eius desuper conscientiam onerando, prout in patentibus literis dicti Prioris Generalis desuper confectis plenius dicitur contineri: quæ omnia à nobis Apostolico petijsti munimine roborari. Nos itaque, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, concessionem, assignationem & facultatem prædictas, sicuti ritè & prouidè processerunt & factæ sunt, authoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communiuimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrū, Anno Incarnationis Dominicæ 1520. tertio nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno octauo. Colligitur etiam hoc ipsum ex superius iam allegato testimonio Doctissimi viri Syluestri Maruli; Qui Canonicos Lateranenses à Canonicis Sepulchri Domini peculiari inter se habitu distingui recenset. Si quidem

Canonicos sancti Sepulchri vestitu nigro, & supra Rochetum Mantileto eiusdem coloris indui, in cuius sinistra parte Cruces rubei coloris, & hoc quidem in honorem & reuerentiam sanguinis ex vulneribus preciosissimis Saluatoris nostri profusi deferri; Lateranenses verò longe dispari habitu vti consueuisse ait. Quemadmodum enim, ait Iacobus Middendorpius, diuersæ sodalitates varijque ordines pro naturæ ac ingeniorum humanorum diuersitate extabant: Sic etiam singulorum ferè ordinum authores atq; adeò Maiores Ecclesiæ Christianæ ac Catholicæ religionis primi fundatores, peculiarem habitũ sacris hominibus constituerunt & præscripserunt. Si tamen placet notari Canonicum Regularem ex vestitu lineo, etiã hoc ex instituto & Priuilegijs Summorum Pontificum competere, Canonicis sancti Sepulchri facilè vnusquisque agnoscet: verum cum huiusmodi habitus peculiaris sit Episcoporum, proinde relicto Rocheto solis supremis ordinis Præsidibus, cæteris ordinis fratribus professis Mantiletum seu pallium, ad brachia emittenda scissum, & cruce rubra insignitum, qui maximorum etiam Prælatorum habitus esse dignoscitur, ex recenti ordinatione Gregorij XIII. Pont: Maximi, ad petitionem Andreæ S. R. E. tituli S. Angeli, Cardinalis Bathoræi, dicti Ordinis Præpositi Generalis, pro habitu concessum & assignatum est. In signum tamen Canonicæ professionis, circa solemnem trium votorum emissionem, loco Rocheti, superpellicio seu ca-

misia Romana, caputio ex panno nigri coloris humeris imposito inuestiuntur, quibus indumentis in Processionibus, & aliis publicis functionibus, ex vi professionis vti solent, & ita in essentiali hac veste, cum reliquis Canonicis Regularibus concordant. Quamuis habitus discretionem, modò ille sit clericalis, parum vel nihil obstare canonicæ professioni, Basilius Serenius, differta sua argumentatione censeat, ait enim: *Quid est, inquit, quod Canonicorum Regularium non vnus notatur habitus? Nam quidam almutias in collo gerunt, alij Besas seu Becas in humeris, nonnulli pelles in brachio, ij albis supparis vtuntur, illi nigris, violaceis, aut tinctis. Dico quod cum nihil super hoc per ipsum Doctorem cautum inueniatur, quilibet habitus Clericũ decet, is etiam competit Canonico Regulari per se.* Hæc Serenius. Cæterũ Clerici Hierosolymitani ex illo tempore quo Helena Augusta fœmina lectissima, Crucem sanguine Saluatoris rubefactam inuenit, (vbi à Clero Ecclesiæ S. Sepulchri per nongentos circiter annos fuit studiosè conseruata) aperte hoc salutare signum rubei coloris in vestibus detulisse noscuntur; vt quod erat dedecoris & cõtumeliæ signum, id omnibus metallis ac gemmis longè præferendum, dilectis seruis eius honori esset & ornamento. D. Ioannes Chrysostomus demonstratione aduersus gentiles, refert, quãto honore suis tem-

Ioan. Lucidus in Tractatu de Religionibus Historia de S. Cruce Carauacensi c. 5. fol. 17.

poribus

porib⁹ excipi & coli crux cõsueuisset, *quodq́ fuerit adumbrata in parietibus, inusta in ianuis, cælata in vasis, expressa in vestibus & in armis, inscripta in voluminibus, in marmoribus insculpta, erecta in foris & theatris, sparsa propè vbique & disseminata:* hæc ille. Vt indè facilè sit coniectura assequi, olim venerandum istum habitum, signo crucis ornatum, incredibiliter ab hominib⁹ honorari, propter religionis & authorem & scopum, Christum nempe crucifixum. Quod si quis adhuc earum rerum, similiumque originem curiosius inquirat, huic talia obijcienti cum Tertulliano respondendum erit: Traditio mihi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides verò obseruatrix. Nullum enim firmius potest esse probationis argumentum, quam antiquorum traditio, & à maioribus recepta consuetudo, atque consensus. Sed de habitu Canonicorum sancti Sepulchri ad præsens sit satis.

CAPVT SEXTVM.

Series Episcoporum Hierosolymitanorum incipiendo à D. Iacobo Apostolo, primo eiusdem Vrbis Episcopo, vsque ad tempora Constantini Magni, ex Scriptoribus Ecclesiasticis succinctè collecta.

VT eò faciliùs nobilitas pariter & antiquitas Ordinis Canonicorum sancti Sepulchri Domini, quem ab ipsis Apostolis profluxisse, iam antea

primo & secundo Capite, grauissimorum virorum lucidissimis testimonijs ostendimus, perspecta cunctis habeatur, seriem seu Cathalogum Episcoporum illius Ecclesiæ, à primo Ciuitatis sanctæ Episcopo, sancto Iacobo Apostolo, exordium sumendo, illudque ad tempora Constantini Magni continuando, præmittendum duximus. Neque enim fas est, vt sanctorum progenitorum dignitas apud filios ignoretur, apud quos omni genere laudis comulata splēdescere debet, quorum non solùm nomina, in tabulas publicas referri, verùmetiam ipsorum imagines in omnibus ordinis Ecclesijs effingi (vt saltim tali conspectu, crebraq; recordatione ad ipsorum imitationem accendamur) pium & laudabile esset. Eo igitur anno, quo Redemptor noster, absoluto humanæ redemptionis mysterio, cælos ascendit. Inter cætera, quæ ad coaugmentandam nascentem Ecclesiam, Hierosolymis ab Apostolis salubriter fuerunt instituta, Iacobus Alphæi, cognomento Iustus, idemq; Frater Domini (ex ratione quam supra attulimus) dictus, ordinatus fuit Hierosolymorum Episcopus. Nec in diuersas orbis partes cum alijs Apostolis abire permissus, maximè propter Iudæos, quorum causa munus illud susceperat, ne omnino derelicti haberentur. Hic postquam 29 annis in Cathedra Hierosolymitana sedisset, gloriosum tandem pro Christi confessione martyrium subijt; In eius postea locum, succesit Simeon filius Cleophæ, Iacobi & Iudæ Apostolorum Frater (alius à Zelote)

Annus á Natiuitate Christi, 34.

S. Iacobus minor, primus Episcopus Hierosolymitanus.

Annus Christi 64.

2 Episcopus Hierosolymitanus Simeon.

qui ad Traiani vſque perſecutionem peruenit, quo Genebrad Chrono.l.3. fol: 377.
tempore cruci affixus memoratur, ab Attico Conſu-
lari, cùm iam annum centeſimum vigeſimum ageret.
Huius anniuerſariam diem Eccleſia votiua ſolennita-
te celebrat die 18 Februarij. Poſt Simeonem tertio
loco in Cathedra Hieroſolymitana ſucceſsit Iuſtus, 3 Iuſtus. 4 Zacheus.
deinde Zacheus. 5 Tobias. 6 Beniamin. 7 Ioannes. 5 Tobias. 6 Beniamin
8 Matthias. 9 Philippus. 10 Seneca. 11 Iuſtus alter. 12 7 Ioannes.
Leui. 13 Ephrem. 14 Ioſeph. 15 Iudas. Hi omnes ori- 8 Matthias. 9 Philippus
gine Hebræi erant, quos breuis æui admodum fuiſſe 10 Seneca.
conſtat, & tam frequens illorum ſucceſsio, Hieroſo- 11 Iuſtus. 12 Leui.
lymitanæ Eccleſiæ, grauem arguit perſecutionem. 13 Ephrem.
Licet autem nonnulli ex recentioribus ediderint, quã- 14 Ioſeph. 15 Iudas.
tum quisque horum ſederit; ſed cùm id non ſcribat AnnusChri-ſti, 109.
Euſebius, qui ſolet alioquin aliorũ numerare ſedis an-
nos, ideò etiam nos cùm Baronio ignorare potius
maluimus, quam diuinare. Primum autem hoc ſæcu-
lum verè Apoſtolicum, & proindè maculis & næuis pu-
rum, notat Genebrardus: nam ab Apoſtolis, non modò Genebrar: Chronol. li.
eſt emenſum, verùm etiam ſuperatum. Deficientibus 3. f. 377.
deinde, qui ex Circumciſione Hieroſolymitanæ Ec-
cleſiæ præfuerunt, Epiſcopis, primus ex gentibus Mar- 16 Marcus Primus ex
cus nomine in ordine ſedecimus ordinatus eſt Hiero- gentibus.
ſolymæ reparatæ Antiſtes, Anno Chriſti, 138. Quo AnnusChri-ſti, 138.
tempore pulſis & oppreſsis Iudæis, vt notant Hiſtori-
ci, penitusque illis occluſo aditu Hieroſolymam ve-
niendi, conceſſa eſt Hieroſolyma Chriſtianis ad habi-
tandum, in qua conſequenter annis quingentis Chri-

17 Cassian⁹.
18 Publius.
19 Maxim⁹.
20 Iulianus.
21 Gaianus.
22 Symmachus.
23 Gaius.
24 Iulianus.
25 Capito
26 Maximus
27 Antoninus.
28 Valens
29 Dolichianus.
30 Narcissus
ANNVS CHRISTI 157.

stiana Religio floruit. Post Marcum deinde Cassianus, in ordine 17 Hierosolymę Episcopatum suscepit. Cui successit 18 Publius. 19 Maximus. 20 Iulianus. 21 Gaianus. 22 Symachus. 23 Gaius. 24 Iulianus. 25 Capito. Hos ponit Eusebius vsque ad annum, Commodi Imperatoris quintum, qui fuit à Natiuitate Christi, Annus 157. Pergit itaque vlterius Eusebius: Anno, inquit, quinto Commodi Imperatoris Hierosolymis ordinatur Episcopus Maximus, ordine 26. Post quem 27 Antonius, 28 Valens. 29 Dolichianus. 30 Narcissus. *Tantis, inquit Eusebius, apud Hierosolymas Episcopis constitutis, non potuimus discernere tempora singulorum, eô quod in præsentem diem eorum sedis anni minimè reperiantur.* Quo loco dolet vehementer Baronius, excidisse nobilissimæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, & præclarissimorum virorum egregia monumenta, dicitque plurimum illos debere redargui erroris, imò si hoc dicere fas est temeritatis, qui texentes Cathalogum Hierosolymitanorum Episcoporum, singulis prout libuit certum annorum, sedis ipsorum numerum præscripserunt. Proindè nos quoque, vt supra attigimus, maluimus cum Baronio, sequi Eusebium, id ingenue ignorare profitentem, quàm alios, dubia perinde ac si certa explorataq; forent, asseuerantes. Tandem sub Narcisso Episcopo, pace tranquilla Ecclesiam Orientalem perfunctam esse constat; nam simul conuenire Episcopos, & Con-

cilia

cilia publicè celebrasse affirmant rerum Ecclesiastica-rum scriptores, quod nonnisi in maximo ocio agi posse videtur. Quanta autem sanctitate fulserit Narcissus, ex multis Ecclesiasticorum scriptorum testimonijs, perspectum vnicuique esse potest. Hic namque suorum calumnijs falsisq; accusationibus circumuentus, volens libensque solum vertit, & multis annis vitam Anachoreticam duxit. Vbi Narcissus se in locum desertum subduxisset, & à nemine esset pro certò cognitum, quo se recepisset: his qui finitimis Ecclesijs præerant Episcopis visum fuit, vt alterum Episcopũ suffragijs crearent. Dius igitur, hoc enim illi nomen erat, in ordine 31 delectus est: cui non longo tempore successit 32 Germanion; quo mortuo Gordius in ordine 33. Episcopatum obtinuit. Cuius temporibus Narcissus tanquam ex mortuis ad vitam denuò reuocatus, à Fratribus, vt Ecclesiæ gubernacula susciperet, vehementer rogatus est. At cum Narcissus non amplius, propter ingrauescentem ætatem, ministerio præesse poterat, Alexander Cappadocum Episcopus, in ordine 34. Diuina prouidentia, per reuelationem quæ noctu ipsi secundum quietem apparuit, Hierosolymam tum voti, tum locorum sacrorum visendorum causa veniens, (solebant enim olim, ait Eusebius, Christiani semel in vita iter Hierosolymitanum suscipere) à Fratribus Ecclesię illius benignè exceptus, & in coadiutorem Narcisso assumptus, non amplius domum reuerti permissus est, idque propter aliam re-

31 Dius.
32 Germanion.
33 Gordius.
34 Alexander.

uelationem, ipsis etiam noctu visam. Hic Bibliothecam nobilem Hierosolymis construxisse fertur, quam postea partim temporis iniuria, partim barbarorum incursiones, & frequentissima sanctæ Vrbis excidia, absumpserunt. Ex quo loco illud aduerte, Clerum Hierosolymitanum semper sub nomine Fratrum censeri. Illud quoque consideratione dignum, ait Baronius, quod quantumlibet loca sancta Hierosolymorum (vt habet Ecclesiastica Historia) fuissent per Adrianum Imperatorem profanata, desuper impositis impurissimis Dijs gentium; nihilominus ardor Christianæ pietatis, neque his potuit contineri, vt in Alexandro videmus, quin Hierosolymitanam peregrinationem susciperet. Qui quidem vsus, ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ cæptus, nunquam amplius est in Ecclesia Catholica intermissus. Dum autem Decius Imperator persecutionem contra Ecclesiam concitasset, mandassetque per vniuersas prouincias, interficiendos Christianos, Alexander Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus, iam extrema senectute, & veneranda planè canicie eximius, Cæsareæ propter Christum præsidis Tribunali sistitur, carcerisque cruciatu diu afflictatus, post præclarum & illustre testimoniũ, Præsidis Tribunali datum, morte in carcere consopitur. In cuius locum Mezabanes 35 successor declaratur. Hoc postmodum mortuo, suffectus est in locum eius numero 36. Hymæneus, qui interfuit Concilio Antiocheno aduersus Paulum Samosatenũ. Post Hy-

35 Mezabanes. 36 Hymæneus.

mæneum ponitur ab Eusebio in Chronico Zambdas. 37 Zambdas
Hic Thebæos milites, quorum Tribunus Mauritius erat, fidem Christianam edocuit, dum hæc eadem legio ad Parthorum & Persarum tumultus comprimendos missa, in Syria hybernaret. Quorum immotum animum Imperator videns, & desperans omnino quemquam illorum à Christiana fide posse deduci, omnem in eosdem immittit exercitum, à quo singuli trucidarentur. Horum coronas, palmas, trophæa, atque triumphos, Dei Ecclesia ab eo tempore in hodiernum anniuersaria celebritate commemorare non desinit. Defuncto Zambda, subrogatus est in locum eius Hermon, qui & Thermon dictus reperitur: sub hoc grauis aduersus Christianos per totam Palæstinam excitata fuit persecutio, mandantibus id seuerè Imperatoribus Diocletiano & Maximiniano, quorum multitudo infinitis tormentis diuexata, à nemine dinumerari potest. Posthæc Ecclesiæ Dei omni ex parte fæliciora arrisere tempora, quibus inprimis in oriente furentes iterum Maximini impetus in Christianos, immissis à Deo cladibus multiplicibus, retunduntur, ac penitus reprimuntur. Et in occidente Maxentius Tyrannus à Constantino virtute crucis victus atq; extinctus fuit: hoc autem accidit Anno Christi, 312. Constantini verò Imperatoris, Anno 7. De quo, eiusque præclarissima matre Helena, & eximijs ab vtrisque erga loca sancta præstitis beneficijs, capite sequenti.

38 Hermon.

Annus Christi, 36.

CAPVT SEPTIMVM.

Successio Episcoporum Hierosolymitanorum à tempore Constantini Magni, vsque ad tempora Iustiniani Imperatoris, quando hæc Ecclesia in Patriarchatum fuit erecta.

39 Macarius ANNVS CHRISTI 316.

POst Hermonem Macarius in ordine Episcoporum 39. Hierosolymitanam Ecclesiam administrasse inuenitur. Cuius temporibus templum magnificentissimum in Monte Caluariæ, ad locum Dominicę sepulturæ, iussu Constantini Magni, & Helenæ matris eius constructum, ac magnis facultatibus locupletatum deprehenditur: quo tempore lignum salutiferæ crucis inuentum, & pro maiori parte thecis argenteis inclusum, custodiæ Canonicorum eiusdem Ecclesiæ concreditum fuit, & ex eo tempore, sacrum illud sodalicium, Custodum Sacri Sepulchri nomine appellari cæpit, qui multis sæculis (prout sacra Historia docet) etiam occupata postea à Saracenis Hierosolyma, in eo officio gnauiter perstitisse, ac quoscunq; peregrinos, sacri Sepulchri visendi desiderio, Hierosolymam confluentes, annuo etiam barbaris persoluto tributo, suis ædibus, iuxta SS. Sepulchrum constitutis, perbenigne fouisse traduntur. Postmodum Macarius cum sedisset annis 19 longæuus ac plenus Dñi benedictionibus, reddidit in pace Deo Spiritum, eiusq; me-

ANNVS CHRISTI 324.

Martyrol: Roman: die 10 Mart.

moria iugi commemoratione, die annua repetita, in Eccleſia hactenus perſeuerat. In ipſius locum ſurrogatus eſt Maximus, ſub cuius fœlici gubernatione, 40 Maxim⁹.
eximium illud templum ſancti Sepulchri, quod Conſtantinus erexerat, dedicatum eſt 14 menſis Septembris, Anno Chriſti 335. quo die anniuerſaria ſolennitas exaltationis S. Crucis ab Eccleſia celebratur, vbi ſimul donaria & ornamenta, ab Imperatore, eiuſque pia matre Helena miſſa, maximi prorſus precij, conſecrata fuerunt. Atque ex illo tempore ſedes & Cathedra Epiſcopalis, ab Eccleſia Montis Syon, in qua primus Hierarcha & Epiſcopus, B. Iacobus Apoſtolus renunciatus fuit, in hanc tranſlata eſt. Quo aureo Conſtantini Magni ſæculo, clerus S. Sepulchri maxime propagari, & maiora indies incrementa ſumere cępit. Poſt obitum deindè Maximi, Cyrillus ſedem 41 Cyrillus.
Hieroſolymitanam accepit, ſub quo prodigium ingens Hieroſolymis, ſignum videlicet crucis, in cælo ſuper ſanctum Golgota montem, apparuiſſe fertur: de quo prodigio extat ipſius Cyrilli ad Conſtantinũ Imperatorem ſcripta Epiſtola, quam recenſet Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis. Hic poſtea ob impoſturas Acatij, Epiſcopatu Hieroſolytano ſe abdicaſſe legitur. Poſt cuius receſſum Ciriacum ſeu Quiriacum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfuiſſe, & ſub Iuliano 42 Quiriac⁹.
Apoſtata Imperatore martyrio coronatum eſſe nonnulli aſtruunt, cuius opera ſaluificum lignum crucis repertum tradunt. Huic deinde ſucceſsiſſe Herennium,

[Margin notes: Annus Chriſti, 335. Niceph: Eccleſi. Hiſtoriæ lib: 8. cap: 50. — Cyril. in fine Cathe. myſtag. Baro: in Annal Eccl: Tõ 3. Anno 353. cap: 26. — Adrichomius, in deſcri. Hieruſalem fol: 176.]

43 Herenni⁹. 44 Heracliũ. 45 Hilarius.
postea Heraclium, ei autem Hilarium: nam hos eo tempore illam rexiſſe Eccleſiam, ad imperium vſque Theodoſij refert Zozomenus: qua tempeſtate Cyrillus iterum ſuæ ſedi reſtitutus, ac in ea vitam finiuiſſe traditur, cuius monumenta ingenij extant Catecheſes, quas in adoleſcentia elaborauit. Huic conſequenter in ſedem Hieroſolymitanam ſucceſsiſſe inuenitur Ioannes, cuius temporibus Deus multorum corpora Sanctorum, ad ſolatium Chriſtianorum manifeſtauit: Magni ſiquidem illius Protomartyris Stephani, & S. Gamalielis facta diuinitus reuelatione, Hieroſolymis inuenta, & de loco tranſlata feruntur. Cuius rei geſtę ſeriem exactè deſcriptam, inuenies apud Surium, Tō: 4. & apud Baronium in Annalibus Eccleſiaſt: Tomo 5. Anno Chriſti 417. fol: 485. hos tu ſi velis conſule. Præſidente autem in Eccleſia Hieroſolymitana Ioanne, S. Auguſtinus in Africa, normam vitæ Apoſtolicę per omnia ſequi, primumq; ſuis Clericis Regulas in communi viuendi perſcribere deprehenditur. Quo tempore (vt habet Nicephorus) Eudoxia Imperatrix, Hieroſolymis domum Epiſcopalem ex ipſis fundamentis erectam, pulcherrimè exornauit, eique mille numiſmatum reditum attribuit: Et aliquando die feſto Paſchæ, templum ſanctæ Reſurrectionis, ad celebrandam feſtiuitatem ingreſſa, in lucernarum rationem, decies mille ſextarios olei retulit, & Choris memoriam ſacrę Reſurrectionis colentibus, annuum prouentum quadringentorum numiſmatum, conſtituit.

Zozom. l. 4. cap: vltimo in fine. Annus Chriſti, 359.

46 Ioannes.

Annus Chriſti 386.

Poſthæc

Post hæc Ioannem Hierosolymitanum Episcopum cõtigit ex hac vita migrasse, qui sedem illam annis 30. tenuisse legitur. Post quem Prailius succeßsit, cuius tempore, vt notat Marcellinus in Chronico, Dominus noster Iesus Christus, super montem Oliueti Hierosolymis vicinum, sese de nube manifestauit; ex quo prodigio, multæ tunc vtriusque sexus vicinarum gentium nationes, tam visu quam auditu perterritæ, atq; credulæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniumque baptisatorum in tunicis, crux Christi Saluatoris, Diuinitatis nutu, extemplo pressa refulsit, ex qua cælitus facta apparitione, de venturi Domini ad iudicandum tempore, inter disertos disceptari cæptum. Constat autem haud ad longioris temporis spacium, Prailium propagasse Hierosolytanam sedem, eumq; habita ratione eius prædecessoris Ioannis decessus, nonnisi annos 13 in eadem sede transegisse. Post hunc in Episcopum Hierosolymitanũ Iuuenalis creatus fuit: qui Eudoxiæ Augustæ Theodosij vxori, beatißimas illas fascias Saluatoris nostri Iesu Christi, & catenam qua D. Petrus ab Herode vinctus fuit, donasse dicitur. Fertur idem Iuuenalis, ex maiorum traditione, de transitu virginis libellum scripsisse. Defuncto postea Iuuenali, suffectus est in locum eius Anastasius Ecclesiæ sancti Sepulchri Canonicus, & vasorũ custos, præcedentibus etiam eius futuram in Episcopatum electionem prophetiis, qui anno vndevigesimo suę sedis, vt ex obitu Iuuenalis prædecessoris eius, Ecclesiastici

Annus Christi, 416.

47 Prailius.

Annus Christi 429.

48 Iuuenalis Niceph: l 14 cap: 2.

Idem Nice: l. 2. cap: 23. & lib: 15. cap: 4.

49 Anastasi⁹ vide apud Surium die 10 Ianuar: S. Euthymii Abbatis prædictiones de eo.

AnnusChristi 458. scriptores colligunt, mortuus esse dignoscitur: in eius
50 Martyri⁹. vero locum ordinatur Martyrius monachus, genere
AnnusChristi 477. Cappadox: huius temporibus, corpus S. Barnabæ repertum est in insula Cypro, vna cum S. Matthæi Euangelio; Historia quidem omni exceptione dignissima, omnium assertione & conceptione recepta, ab egregio viro illius temporis, Alexandro Monacho orthodoxo scripta, extat apud Surium die 11 Iunij, quam tu si lubet apud eum vide. Martyrius deindè cum sedisset annos 8. (tot enim eius sedi à Nicephoro
AnnusChristi 487. adscribuntur necnon à Cyrillo in Saba) vita functus
51 Salustius. est. Cui successit Salustius, qui magnum illum Anachoretam Sabam Presbyteratus ordine insigniuit, & illud celebre in Laura Monasterium, nouiter pro eo tempore à B. Saba constructum, consecrauit, deponens sub ara multas gloriosorũ Martyrum reliquias.
AnnusChristi 498. Porrò Salustius cum peruenisset ad annum 8 suæ sedis,
52 Elias. ex hac vita decessit; In eius locum euectus est, Elias
Extat huius Heliæ Epistola ad Anastasiũ Augustum, per Sabam monachũ missa ac reddita apud Niceph. lib. 6. c. 32. Arabs genere laudatissimus; quem nunquam vti consueuisse vino, Polychronius apud Sophronium testatur; quo impietate Anastasij Imperatoris in exilium pulso, Ioannes sedem Hierosolymitanam apprehendit, qui cum antea dogma Seueri profiteretur, mutatus postea fuit in strenuum propugnatorem fidei, procul dubio virtute Cathedræ D. Iacobi, prout asserere
AnnusChristi 512. videtur Baronius. Cum verò Ioannes sedisset annos 11
53 Ioannes ex hęretico Catholicus & Confessor in fata demum concessit, relicto successore Petro, virtute insigni, cuius temporibus Iustinianus Im-

peratar

perator, in multis Palestinæ locis templa sumptuosa construxit: inprimis verò Hierosolymis, mirificum templum Dei Genitricis, cui nullum planè aliud tum potuisse æquiparari, tradit Procopius, quod magnarũ etiam pecuniarum reditu honorasse, idem author recenset. Idem etiam in via qua ad templum S. Sepulchri itur, constituisse fertur hospitia vtrinque duo, vnum quo hospites peregrini suscipiantur: alterum quo requiescant & refocillentur pauperes ægroti, & alia plura. Hic quoque Imperator, prouidendo peregrinorum inopiæ, qui incredibili frequentia vndiq; Hierosolymas confluebant, & vota sua ad templum S. Sepulchri persoluebant, legem tulit de alienatione quarundam domorũ, ad dictam Ecclesiam spectantiũ, exceptis prædijs quę nullo modo alienari ab ea voluit. Inter alia notatu dignissima in hoc edicto habentur: Hæc nos, inquit Imperator, venire ad præsentem legem fecerunt, quam dedicamus Deo, & omnium Ecclesiarum sanctissimæ Resurrectioni, per quam sancimus, omnia quidem alia, & in sanctissima Resurrectione obtinere, occasione prædiorum Ecclesiasticorum, (neque enim ipsi omnino permisimus venditionem vllam facere prædiorum) super ædificijs laxamus, aliquid de rigore legis &c. Post obitum deindè Petri, successit Macarius huius nominis secundus, qui exacto in Cathedra Hierosolymitana biennio, propter odium atque calumniam cleri, sede sua pulsus legitur: quo pulso suffectus est Eustochius, sub quo Ecclesia Hiero-

Annus Christi 523. 54 Petrus.

Iustin. Nou. 40. ff. 1. Pepin in lege Lõgobar. Baron: Anna: Eccl. Tomo. Petrus Cotonus instit: Cathol: C. de Peregrinationibus fol: 133.

Annus Christi 546. 55 Macarius.

55 Eustochi⁹

Vilhel. Tyrius de Bello sacro l. 24 c. 12. ad Calcem libri. Annal: Eccles. Tõ: 6. Anno 553. c. fol: 636.

solymitana Patriarchatu verè aucta cognoscitur, licet eo nomine sæpe eius Episcopus, ante hæc tempora, vsus esse inueniatur. Qualiter autem id euenerit, refert in hunc modum Tyrius: Anno, inquit, 27. sanctę recordationis Iustiniani Imperatoris, congregata est Synodus Generalis, apud Constantinopolim, tempore Vigilij Papæ, Eutichij Cõstantinopolitani, Apollinaris Alexandrini, Pauli Antiocheni, & Eustochij Hierosolymitani Patriarcharum; in qua Synodo, post alias populo Dei necessarias institutiones, quas pro tempore promulgandas, decreuerat sanctorum Patrum, qui ad eam conuenerant, authoritas, prædictam Deo amabilem Hierosolimitanam honorare Ecclesiam, & eius Episcopo locum inter Patriarchas dare, communi sanxit voluntate, reuerentiam exhibens sanctæ Resurrectioni &c. Recensetque specificè sedes dicto Patriarchatui Hierosolymitano, pro eo tempore subiectas: nempe Metropolitanas quatuor, Cęsaream videlicet maritimam, sub qua nouemdecem Episcopatus. Alteram Scytopolitanam, sub qua nouem Episcopatus. Tertiam, Rabbam Moabitim sub qua 12 Episcopatus. Quartam Bitiram Arabiæ sub qua 35 Episcopatus ex antiquo constitutos fuisse refert. Præterea 25 Suffraganeos, quos Græci Syncellos vocant: hos omnes Ecclesiæ Hierosolymitanæ subiectos, soliusq; Patriarchæ iurisdictionem super se agnoscere dictus author commemorat, specificè vnamquemque sedem exprimendo, tali qui sequitur ordine.

Sedes

Sedes prima Metropolitana Cæsarea Maritima, olim teste Benianimo Tudelensi Gad Palestinorum dicta, ad mare Mediterraneum sita, hos Episcopatus sub se habuit.

1 Dorensem.	11 Regium Gadaron.
2 Antipatridam	12 Asotum Paralias.
3 Iampniensem.	13 Asotum Ippum.
4 Nicopolitanam.	14 Estomasontinam.
5 Onusinam.	15 Astilionensem.
6 Soscuridam.	16 Tricomiadensem.
7 Raphiadensem.	17 Toxtuanam.
8 Regium Apatos	18 Saltuanam.
9 Regium Hiericho.	19 Constantiniaquitanam.
10 Regium Lyuas.	

Secunda sedes Metropolitana ad Patriarchatum Hierosolymitanum spectans, Scytopolis, sub qua infra positi Episcopatus numerabantur.

1 Capetolias seu Capitoliados.

2 Miru.	6 Tetracomias.
3 Gadaru.	7 Oluna.
4 Pelos.	8 Galanis.
5 Vlisippus.	9 Komanas.

Tertia sedes Metropolitana Patriarchæ Hierosolymitano subiecta, Rabba Moabitidis, alio nomine Rabensis siue Petracensis, apud Beniaminum in itinerario Petra deserti dicta, cui duodecim Episcopatus adscripti erant.

1 Augustopolis.	7 Zora.
2 Arcadillia.	8 Virosum.
3 Kara	9 Pentacomia.
4 Serapolis.	10 Memapson.
5 Mempsidos.	11 Mitroconeras.
6 Eulitis.	12 Saltum Hieraticum.

Quarta sedes Metropolitana sub Patriarchatu Hierosolymitano consistens, Becerra seu Bitira Arabiæ, hos Episcopatus sub se habuit.

1 Adrason.	19 Enacomias.
2 Dias.	20 Comogonias.
3 Medauon.	21 Comogieros.
4 Hierason.	22 Comosthonis.
5 Nein.	23 Comis.
6 Philadelphia.	24 Machadaron.
7 Ierapolis.	25 Comocoreatis.
8 Essmos.	26 Comis Capiron.
9 Neapolis.	27 Comis insuauos,
10 Themistus.	28 Comis Pirroareton.
11 Philipopulus.	29 Comis Pecius.
12 Dionisia.	30 Comis Ariaton.
13 Constantinu.	31 Comis Neotis. (non.
14 Pentocomias.	32 Clima Anatolis queuisi
15 Tricomias.	33 Comis Ariotas.
16 Canastados.	34 Comis Trachonos.
17 Saltum votanios.	35 Comis Nephdamos.
18 Exacomias.	

Nomen hoc Comis seu Come, quo multi, vt vides, Episcopatus sub Patriarcha Hierosolymitano prænotantur, à Græcis oppidum seu vicum intelligi debere, censet Aubertus Miræus in sua Geographia Ecclesiastica.

Præter enumeratas sedes Metropolitanas & Episcopales, Suffraganeæ etiam multæ à Tyrio recensentur, vt potè.

1 Lidda.	14 Capitolina.
2 Ioppe.	15 Mauronensis.
3 Ascalon.	16 Gedera.
4 Gaza.	17 Nazareth.
5 Meimas.	18 Thabor.
6 Diocletianopolis.	19 Caracha vel Petra.
7 Beit Gerbein.	20 Adroga.
8 Neapolis.	21 Affra.
9 Sebastia.	22 Aelis.
10 Iericyntus.	23 Faram.
11 Tyberiadis.	24 Elinopolis.
12 Diocæsarea.	25 Mons Syna.
13 Legionum.	

Easdem reperiri Baronius narrat in Vaticana Biblioteca in codice nouissimo, cuius est titulus Liber Censuum. Baro: Eccl: Tom: 6. Anno 553.

CAPVT OCTAVVM.

Continuatio Patriarcharum Hierosolymitanorum à temporibus Iustiniani Imperatoris, ad illud vsque tempus, quo in potestatem Saracenorum Ciuitas sancta deuenit.

INterim Eustochio Patriarcha Hierosolymitano è vita sublato, in eius locum Ioannes substitutus esse legitur: posthunc deinde Amos, quo defuncto Esichius successit. Vbi verò Esichius sedisset in Patriarchatu Hierosolymitano annos octo, (vt habet Nice-

Annus Christi, 561. 56 Ioannes. 57 Amos. 58 Esichius. 59 Zacharias.

AnnusChristi, 601.

phori Chronicon) ex hac vita migrauit. Post quem Zacharias Patriarchatũ accepit, sub quo à Cosrhoe Persarum Rege, sacrosancta Ciuitas Hierosolymitana, vna cum precioso Ligno sanctæ Crucis & Patriarcha, capta esse noscitur, & qui in ea erant Christiani, misere in Persidem deducti, Iudæisque vili precio venundati, non more gentium in seruitute retenti, sed diuersis ab eis innumerisque affecti supplicijs, admodum truciditati leguntur. Luctuosam hanc historiam Theophanes & Antiochus Monachus Palestinæ descripsisse inueniuntur. Cum verò Ecclesia sancta Hierosolymitana abducto in Persidem Zacharia Patriarcha captiuo, absque pastore relicta esset, iniuncta est eius administratio (nec enim licebat in eodem loco duos esse Episcopos) Modesto, patri monachorum cuiusdam monasterij Palestinæ, qui sanctorum illorum aspiciens corpora insepulta, animi ardore contractus, multis se proluisse lachrymis fertur, ac sanctas reliquias illorum circumplexus, in Patrum deposuisse cõditorijs. Non ea verò tantum, quæ ad exequias defunctorum, & ad animarum curam, spectare videbantur, summo studio pertractasse dicitur, sed etiam in restituendis igne consumptis Ecclesijs (licet impossibile videretur, rem tantam monachum vnum posse præstare) alterum se Zorobabelem exhibuisse: testis locuples de his omnibus est Antiochus monachus, in epistola ad Eustachium. Restituitur postea, victis per Heraclium Persis, suæ sedi Zacharias, Lignum san-

Modestus vices Patriarchæ captiui Hierosolymis obit.

ctissimæ Crucis secum reportans, quod illæsum & intactum, nec à Persis quidem visum fuisse, Historici huius temporis memoriæ commendarunt. Quo postea vita functo, Sophronius in Patriarchatum eligitur, qui plurimos labores, pro fide Catholica subijsse fertur; si quidem ea tempestate Ecclesia orientalis, à Cyro Monothelita Alexandrino Patriarcha, mirum in modum exagitata traditur; ipsum etiam Heraclium Imperatorem in Monethelitarum sectam prolapsum fuisse narrat Michaël Glicas, & ingens flagitium fratris filia sibi in matrimonium iuncta, ab eodem fuisse perpetratum. Atque hinc tetra funera orientalis Imperij cæpta, & ex his penè alijsq; grauissimis causis (quas enumerat Boscherus) amissio sanctæ Ciuitatis profecta esse dignoscitur. Quantisper enim, ait ille, Christiani Christianè vixerunt, tantisper in Terra sancta constitere, quamprimùm degenerarunt, eiecti & exsufflati sunt instar sordium, hostibus Saracenis tanquã flagello Dei eos vrgentibus, qua tempestate Zophronius Patriarcha, cum videret loca sancta à canibus proculcari, nimio merore confectus, vti alter Helias, petijt animæ suæ vt moreretur, & non secus atque Heli non substitit amplius, vbi captam audiuit Arcam Domini, neque illi superstes esse cupiebat. Mortuus itaque eo ipso anno 638. quo per Saracenos Hierosolyma, Damascus, & magna pars Syriæ Romanis Imperatoribus erepta fuit, postquam eam Christiani tenuissent, annis 409. Et exinde Hierosolymita-

60 Sophronius vltimus Patriarcha Hierosolytanus Orthodoxus.

Orator terræ sanctæ Philip. 3. c. 2.

Annus Christi, 638.

norum Patriarcharum (vt Historici Latini censent) succeſsio obſcura, Græci illorum ſucceſsionem non interruptam illic oſtendere conati ſunt, quos nonnulli ex Latinis ſecuti, idem facere non dubitârunt: quemadmodum Nauclerus in ſua Chronologia feciſſe reperitur; nam poſt Sophronium ponit Theodorum, deinde Iliam, Gregorium, Thomam, Baſilium, Sergium, Salomonem, Theodoſium, Iliam ſecundum, Sergium ſecundum, Leontium, Oreſtem, Nicephorum, Sophronium, Ennium, Simeonem, ſub quo Latini cũ Godefrido de Bullion veniſſe, & Ciuitatem ſanctam obtinuiſſe noſcuntur. Sic Nauclerus. Noſter Baronius, nullum alium poſt Sophronium, ad tempora Godefridi Regis fuiſſe ſuffectum Hieroſolymis orthodoxũ Epiſcopum tradit, hoc ipſum Gilbertus Genebrardus in ſua Chronologia affirmat; qui ſedem illam, ab his qui deinceps Sophronio ſucceſſerunt, non per Eccleſiaſticam authoritatem, ſed ſæcularem poteſtatem occupatam fuiſſe recenſet; quorum nos ſententiæ ſubſcribentes, in Sophronio terminatos fuiſſe Orthodoxos Patriarchas Hieroſolymitanos firmiter tenemus.

Nauclerus volum 2 Generat: 37. fol: 808.

Baron: Annal. Eccl: Tom: 8. Anno Chriſti c. fol: 434.

CAPVT NONVM.

Vrbis Hieroſolymitanæ breuis deſcriptio, illiusq́; variæ captiuitates & excidia.

PRo Coronide libri primi, ad maiorem veteris Eccleſiæ Hieroſolymitanæ elucidationem, breuem ſanctæ Ciuitatis deſcriptionem, eiusque va-

rias captiuitates & excidia, ex antiquorum monumentis studiose à nobis collecta, præmissis adijcienda operæ precium duximus. Hierusalem itaque Dei electa sancta & gloriosa, fundata in montibus sanctis, quæ ob miram situs sui elegantiam, firmitatem, magnificentiam, cæli clementiam, solique fertilitatem, necnon rerum omnium vbertatem, Vrbs perfecti decoris, gaudium & exultatio vniuersæ terræ, à Propheta meritò appellatur. Vetustate verò, ac fama rerum gestarum, regumq; splendore, qui eam inhabitârunt, & inprimis Christi hospitio, miraculis, passione, & resurrectione, omnium orbis totius Vrbium celeberrima euasit. Eam conditam ferunt Anno à mundo creato 2033. à Melchisedech Rege & Sacerdote altissimi, à quo & Salem nominata, qui eam circiter annos 50 tenuisse dicitur. Postea verò à Iebusæis occupata, Iebus & Iebusæum, aliquando dicta inuenitur; quibus, posteaquam eam habuissent annos 824 à Dauide eiectis, addita arce, à suo nomine Ciuitatem Dauid, appellari voluit, & exindè in totius Iudeæ Metropolim ac regni sedem euecta, nomen Hierusalem, quasi Iebusalem obtinuisse fertur, quam postea Salomon Dauidis filius, & in Regno successor, Templo toto terrarum orbe celeberrimo, palatio item Regio, alijsque clarissimis ædificijs, vel maximè illustrauit. Hanc etiam alij post Salomonem reges, turribus, muris, fossis, alijsque splendidis & Regijs operibus, & publicis ædificijs exornarunt, atque ita munierunt, vt

Adrichomi in descript. terræ sanctæ fol: 148.

Ierē: Ire. 2.

Orator terræ sanctæ Phil. 2. c. 1. f. 28.

Hierusalem post Melchisedech habuit Dños infinitos.

3 Reg: 5.

Strabo l. 16.

totius orbis inter Vrbes facilè principem locũ obtineret. Hoc fælici rerũ statu annis 477. floruisse dicitur, donec ob regum & populi scelera, maximè verò abominandũ idolorum cultum, regnante Sedechia à Nabuchodonozore Babyloniæ rege, aliquoties capta, ac vltimò funditus euersa, spacio septuaginta annorum pene deserta iacuit; Syonq; tunc quasi ager arabatur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum stabat, & mons templi quasi excelsa syluarum, vtque interea, D. Hieronymo teste, nec auis volauerit, nec bestia pertransierit per eam. Deindè ab Asope nescio quo Ægyptiorum Rege, iuxta aliquos, vel potius ad sensum Boskieri, & scriptura authore, à Sesac, de quo sic in libris Regum; in quinto Anno Regni Roboam, ascendit Sesac Rex Ægypti in Hierusalem, & tulit thesauros domus Domini, & thesauros Regios, & vniuersa diripuit, scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon &c. Cum enim ei resistere non poterant, admissus intro est sub pactis de murorum conseruatione, quæ tamen fædifragus violauit. Postea ab Alexandro Magno, totius orientis turbine atrocissimo, qui à Iudæis fauorabiliter exceptus, nihil nocuit vrbi, Deo victimas immolauit, & Pontificem Iaddum plurimis honoribus prosequutus est. Posthæc ab Antiocho Rege, qui & Epiphanes, & radix peccati cognominatus est, semel & iterum, primum ab ipso Antiocho Rege, Menelao prodente, secundũ à Questore seu principe tribunorum eiusdem; demum à Pompeio Magno, quem ideò

Mich: 3. Ierem: 25. 26. 29.

3 Regũ 14. Comestor.

Ado in Chronico.

1 Mach: c. 1.

Cicero Hierosolymarium vocat, capta esse noscitur. A Gabinio Scauro varo, & à Cæstio insultus aliquanto passam, non commemoro. Ita anniuersaria propè modum excidia & captiuitates illi fuisse produntur, vt nulla orbis Ciuitas capta sæpius aut euersa legatur. Fuisse quoque ab Herode primo ex alienigenis Rege captam docet Iosephus; Ad extremum à Tito Vespesiani filio, vero Christi necis vindice, anno secundo eius Imperij, die 8 Septembris, post Christi pasionē trigesimo octauo, decimo verò post Iacobi mortem, obsessa & radicitus euersa legitur. Vnde Vrbs illa mundo admirabilis, facta est spelunca latronum & sepulchrum mortuorum: nam intestinis cædibus, fame, peste, & gladio vndecies centena Iudæorum millia in ea perijsse, alia centum millia publice venundata, sexcenta interfecta, exceptis ijs qui ad publicas operas Romam missi fuerant; sedecim denique millia in triumphum ducta, vulgò feruntur. At Christi fideles Deo sic disponente, ne innocentissimi sceleratissimorum supplicio inuoluerentur, & ne pari pæna cum impijs Iudæis afficerentur, longè ante præmoniti, in exteriorem prouinciam recessisse, atque sicut refert Epiphanius, maiori ex parte Vrbem Pellam incoluisse dicuntur, quod sic eos Christus Dominus, vt antequā obsidione cingerentur, alio se reciperent olim admonuisset. Quo tempore ijdem fideles, Cathedram S. Iacobi, in qua ille dum Episcopus esset consederat, secum detulisse leguntur, quàm Episcopos

Ioseph: lib. 14. c. vltmo. Hegesip l. 1. anno ab Vrbe 717.

Hieroso-

Eufeb: lib: 3. cap. 4.

Hierofolymitanos, qui illic ordine fucceſſerant, permagni æſtimaſſe ait Euſebius. Poſt acerbam deinde cladem Hieroſolymorum, redeuntes Chriſtiani ab Vrbe Pella, domos in Hieruſalem ſibi conſtruere cæpiſſe, circa Eccleſiam ſuam, vbi erat Cænaculum, vbi manebant Diſcipuli poſt Aſcenſionem Domini in cælum, docentes & magna ſigna operantes, narrat Euſebius: In qua conſequenter annis prope quingentis Chriſtianam Religionem floruiſſe ſacræ Hiſtoriæ teſtantur; donec iterum ob peccata, quæ ſuperius attigimus, Chriſtianorum, in poteſtatem Saracenorum Ciuitas ſancta deueniſſet, qui cuncta funditus deuaſtantes, nulli animæ Chriſtianę, nulli Eccleſiæ vel monaſterio, imò nec ipſis ſanctorum imaginibus parcentes, ferro atque igne terram ſanctam depopulati ſunt. Quo tempore Clerus Eccleſiæ ſancti Sepulchri defecit, & ſi qui ibidem ex Chriſtianis manere volebant, diræ ſeruitutis iugum quotidiano tributo vitam redimentes, ab Anno Dñi, 638. vſq; ad annum 1099 (tam dira ſiquidem ac diuturna, ait Tyrius, imperſcrutabili Dei iudicio, nobiliſsima illa Eccleſia, imò vniuerſus Chriſtianorum populus in oriente habitans, permiſſus eſt perfidorum ſeruitute premi) pati cogebantur. Sed nos primis quaſi labris, in tanto præſertim ætatum & euentuum diſcrimine, prægustata Cleri Hieroſolytani antiqua ſtirpe, lucidiora magiſq; perſpicua, de ſtatu & progreſſu nobiliſsimi Ordinis, diuina adiuti manu, ſequenti libro in medium producemus.

DE SA-

DE SACRA ANTIQVITATE ET STATV ORDINIS CANONICI CVSTODVM SACROSANcti Sepulchri Domini Hierosolymitani.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Expeditio Godifredi in terram sanctam, illius primus cum Niceæ Sultano conflictus: tum quo tempore Christiani trucidatis barbaris, plurimas Asiæ prouincias, ac ipsas deniq́ Hierosolymas receperint, & ad perpetuam posteritatis memoriam, Festum tryumphi siue gratiarum actionis instituerint.

CVm toti iam Asiæ anteriori imperarent Turcæ, Godefridus Bolioneus Princeps Lotaringiæ, clarissimis olim maioribus, patre Eustachio Ida matre natus, ex Galliæ regno & Rhemensi prouincia oriundus, terram sanctam è manibus infidelium eripere, christianæque

Reipublicę limites protendere, magno animo aggressus est. Vendito itaq; Ducatu paterno Leodiēsi Episcopo, omnē pecuniam in belli apparatum impendit. Adiunxerunt se ei inprimis fratres Balduin⁹ & Eustachius; his accessere ex Italia, Germania, Gallia, Hispania religionis amore complures Principes, adhortatione inprimis Romani Pontificis Vrbani II. inducti, quorum alij terra, alij classe, Ducem secuti, cum Petro Eremita belli sacri promotore (quem Polydorus asserit esse inuentorem globulorum seu orbiculorum precatoriorum, qui filo inserti, à deuotis fidelibus plerunq; gestantur) sese ad Bizantium cæteris coniunxerunt. Vt autem res difficillima inchoanda, hactenus in Ecclesia Catholica intentata, optatum consequi posset effectum, narrat Baronius, placuisse Vrbano Pontifici, Dei genitricis precibus annitendum, vt ipsa apud filium precibus ageret, quo fidelis populus, in tot & tantis discriminibus subeundis, eius fulciretur auxilio, atque præsidio muniretur; experientia edoctus, quæque ardua progressura feliciter, quibus B. Mariæ Virginis faueret gratia, & aspiraret auxilium. Proindè rogata sententia Patrum, in Concilio Claromontensi sanciuit, vt horariæ preces & laudes sanctissimę Virgini, per vniuersos Clericos ab eo tempore persoluerentur; quod quidem tunc à sancta Synodo, Vrbano agente, ea occasione indictum, & à Clericis piè susceptum, ad laicos quoque fuit, tàm viros, quàm mulieres propagatum, & quidem cum magno fenore gra-

Anal: Eccl. Tō: 11. sub. Anno Christi. 1095. Mariani officii institutio

tiarum

tiarum, vt experti sunt omnes, iugiterque experiuntur fideles, qui has ex animo frequentant: hæc Baronius. Cui narrationi subscribens Arnoldus Vuion hæc addit; cum in hac expeditione non minus opus foret spiritualibus, quam corporalibus armis, sciens pontifex ipsi Deo offerri, quicquid in eius sanctissimæ Matris honorem impenditur; vt patrocinium tantæ Virginis, Mediatricis Dei & hominum in re tam pia & sancta experiretur, in eodem Concilio, in quo vt Clerici septem horas Canonicas quotidie recitarent, confirmatum fuerat, totidem ab ijsdem, alijsque legere valentibus, & ad hoc bellum sacrum accedentibus, in laudem Diuæ Virginis recitari præcepit, addita & diei Sabbathi, quem in eius honorem tunc primum consecrauit, obseruatione; in cuius etiã venerationem nouem Missarum præfationibus tunc primum decimam addidisse fertur. *Et te in veneratione Beatæ Mariæ semper Virginis collaudare, benedicere & prædicare, quæ & vnigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, & Virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit, Iesum Christum Dominum nostrum.* Hæc authores præcipui de institutione Mariani officij: illius recitandi occasionem dedisse, Belli sacri piam expeditionem allegant. Imperabat tùm Græcis Alexius Comnenus, qui suppeditandis ad bellum necessarijs sui etiam animi promptitudinem declarasse, à nonnullis

Ligni vitæ lib: 5. c. 20.

niemoratur. Alij narrant eum gypſo farinæ mixto, quam commeatus loco ſubminiſtrabat, multorum hominum millium interitus cauſa fuiſſe. Diuini itaque numinis auſpicio, exercitus inſtructiſsimi maximique Dux Godefridus Lotaringus, aduerſus Turcas & Saracenos Chriſtiani nominis hoſtes, Aſiaticam expeditionem ſuſcepit Anno Chriſti 1096. In cuius exercitu numerata ſunt trecenta peditum millia, equitum Loricatorum centum millia. Nec minor Turcarum aduerſus has Chriſtianorum copias, apparatus & induſtria fuit, qui Ducem ſibi elegêre Solymanum Niceæ Sultanum, armis acerrimum, laborum patientiſsimum, in rebus dextrè cauteque gerendis inprimis prouidum, cum quo neminem alium inter omnes Saracenorum Turcarumque Duces & principes, tum conferri poſſe narrat Lonicerus. Hic Solymanus de Chriſtianorum Principum expeditione certior factus, nihil prius habuit, quam vt noſtros à finibus Regni ſui arceret, & prior, antequā intimos Imperij ſui receſſus occuparent, armis eos laceſſeret, fortunamq; belli experiretur. Innumeris itaque congregatis copijs, omnibusque ad hoſtem propulſandum eiusque impetum ſuſtinendum neceſſarijs accurate comparatis, Chriſtianorum exercitui non procul à Nicæa obuiam procedit, vbi vario & ancipite vtrinque marte diu admodum pugnatum fuiſſe narratur: donec tandem, diſsipato hoſtili exercitu, Turcæ cateruatim cæſi, multi etiam à noſtris capti, ipſe quoque Solimanus

Annus Chriſti, 1095.

Philip: Lonicerus in Chronico Turcico Tō 1. fol: 15.

in eo-

in eodem prælio conciderit. Hinc potentiæ Turcarum diminutio facta esse dignoscitur. Occupata deindè Antiochia tandem & ipsa Hierosolymitana Vrbs in nostrorum peruenit potestatem Anno Christi 1099. Feria sexta Idibus Iulij, in festo diuisionis Apostolorum, eo prorsus die & hora, qua ante tot centena annorum CHRISTVS Saluator noster in crucem actus, expirasse legitur. O Bellum sanctissimum & annalibus aureis notandum, si id retinere Christiani Principes ad nixi fuissent, quòd multo sudore ac sanguine maiores illorum susceperant. Porrò ad maiorem tanti facti memoriam, ex communi omnium voto susceptum & approbatum recenset Tyrius, vt hic dies apud omnes solennis, & inter celebres celebrior perpetuo habeatur; In qua ad laudem & gloriam nominis Christiani, quicquid in Prophetis de hoc facto vaticinij reperitur, publice ad populum referatur, & pro eorum animabus fiat ad Dominum intercessio, quorum labore commendabili, prædicta amabilis Ciuitas Christianorum fuit restituta libertati. Ex quo tempore ordo noster, per vniuersas instituti Ordinis sui Ecclesias, consueuit festum gratiarum actionis, & tryumphi illa die ex hostibus reportati, sub celebritate anniuersariæ Dedicationis Ecclesiæ S. Sepulchri, annua eaque perpetua deuotione recolere, festo Diuisionis Apostolorum in proximam diem translato; vt hoc esset perpetuum monumentum victoriæ à Christianis illo die ex barbaris obtentæ. Sub cuius festi memoria

Vuilhel: Tyrius de bello sacro. lib: 8. c. 24. f. 761.

Annus Christi 1099.

plurimas in ordine nostro Ecclesias dedicatas etiamnum retinemus. Extulerunt hanc diem summis preconijs, veteres Sacri belli Commentatores, inter quos Raimundus de Agiles Canonicus Podiensis, tali vtitur, in huius celebritatis descriptione, encomio: *Noua, inquit, dies, nouum gaudium & exultatio, noua & perpetua lætitia, laboris & deuotionis consummatio, noua verba, noua cantica, ab vniuersis exigit. Hæc, inquam, dies celebris in omni sæculo venturo, omnes dolores & labores nostros gaudium & exultationem fecit. Dies hæc, in quam, totius christianitatis confirmatio, & paganitatis exinanitio, & fidei nostræ renouatio, quia in hac illuxit & benedixit Dominus populo suo. In hac die eiecti Apostoli ab Hierosolymis, per vniuersum mundum dispersi sunt, in hac eadem die Apostolorum filij, Deo & Patribus, vrbem & Patriam vendicauerunt. Hæc dies celebratur idibus Iulij, ad laudem & gloriam nominis IESV Christi, qui dedit precibus Ecclesiæ suæ, Vrbem & Patriam, quam iurauit patribus, & reddidit in fide & benedictione filijs; In hac die Officium de Resurrectione cantauimus, quia in hac ille qui sua virtute à mortuis surrexit, per gratiam suam nos resuscitauit.* Hæc Raimundus. Fulcherius quoq; Carnotensis de eadem victoria ijsdē prope modum verbis exclamat: *O tempus desideratum, ô tempus inter cætera memorandum: ô factum factis omnibus anteferendum, verè desideratū, quoniam ab omnibus fidei Catholicę cultoribus inter-*

no mentis desiderio se inper desideratum fuerat, vt locus, in quo cunctarum creaturarum Creator, recreationis salutiferæ munus, Deus homo factus, humano generi, pietate sua multiplici, nascendo, moriendo, resurgendoque contulit, à Paganorum contagione inhabitantium quandoque mundatus, tam diu superstitione contaminatus, à credentibus & confidentibus in se, in modum dignitatis suæ pristinum reformaretur. Et vere memoriale, & iure memorandum, quia quæque Dominus noster IESVS Christus, in terra homo cum hominibus conuersatus egit, & docuit, ad memoriam famosissimam reuocata & reducta sunt. Et quod idem Dominus per hunc populum suum, tàm vt opinor dilectum alumnum, familiaremque, & ad hoc negotium promptum expleri voluit, vsque in finem sæculi memoriale linguis tribuum vniuersarum personabit; hactenus Fulcherius de hac die, qui etiã tempus captæ Hierosolymæ his versibus notauit:

Julius efferuens ter quina luce calebat
Idibus inque suis iter ad medium faciebat.
Undecies centum numero si dempseris vnum
Dicebant Annos Domini tunc esse peractos
Cum nos Hierusalem gens Gallica cæpimus Vrbem

Tunc quoque (subdit Fulcherius) locati sunt Canonici in Ecclesia Sepulchri Domini, de quibus inferius.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Literæ Legati Apostolici, & Principum Christianorum, ad Paschalem Papam, quas Encyclicas esse voluerunt ad omnes Principes occidentis, de toto Belli sacri progressu, & sanctæ vrbis recuperatione.

Paschalis PP. secund⁹ electus in Pōtificatū An: 1099. idibus Augusti, obijt vero an: norum 1118. cum sedisset annos 18. mēses 5. dies 4. sepultus est in Basilica Lateranensi. Baronius Annal. Eccl: Tom: 12. anno Christi, 1100. f. 6.

PAschali Papæ Romanæ Ecclesiæ, & omnibus Episcopis, & vniuersis Christianæ fidei cultoribus, Pisanus Archiepiscopus Apostolicæ sedis Legatus, & Godefredus Dux, Gratia Dei Ecclesiæ sancti Sepulchri nunc Aduocatus; & Regimundus Comes S. Ægidij, & vniuersus Dei exercit⁹, qui est in terra Israel, salutem. Multiplicate preces & orationes cum iucunditate, quoniam Deus magnificauit suam misericordiam, complendo in nobis ea, quę antiquis remporibus promiserat. Etenim cum capta Nicæa cunctus exercitus inde discesisset, plusquam trecenta millia armatorum ibi fuerunt. Et licet tanta multitudo esset, quæ vniuersam Romaniam occupare, atq; epotare flumina omnia, compascere omnes segetes vna die posset, tamen cum plenitudine tanta cōduxit nos Dominus, vt de ariete nummi vix duodecim acciperentur. Præterea, & si Principes & Reges Saracenorum contra nos surrexerint, tamen Deo volente facile victi & conculcati sunt. Ob quæ quidem fæliciter acta, quia

quidam

quidam intumuerãt, opposuit nobis Dominus Antiochiam, humanis viribus inexpugnabilem, ibique per nouem menses nos detinuit, atque in obsidione extra ita nos humiliauit, vt in toto exercitu nostro vix boni centum equi reperirentur. Tãdem aperuit nobis Dominus copiam suæ benedictionis, & nunc etiam induxit in Ciuitatem, & turres & omnia eorum potestati nostræ tribuit. Cum hæc quasi viribus nostris acquisita teneremus, tanta multitudine Saracenorum obsessi sumus, vt de ciuitate nullus egredi auderet. Præterea fames ita inualuerat, vt vix ab humanis dapibus aliquis abstinuerit; longum est enarrare miserias, quę in Ciuitate fuerunt. Respiciens autem Dominus populum suum, quem ita diu flagellauerat, benignè consolatus est nos. Itaque primo quasi pro satisfactione tribulationis, Lanceam suam à nemine inuentam à tempore Apostolorum, pignus victoriæ nobis contulit, deindè corda hominum adeo animauit, vt illis, quibus ægritudo & fames ambulandi vires negauerat, arma sumendi, & viriliter contra hostes dimicandi virtutem infunderet. Deniquè cum triumphantibus hostibus, fame ac tædio deficeret exercitus Antiochiæ, & maximè propter discordias Principum, in Syriam profecti, Varram & Marram vrbes Saracenorum expugnauimus, & castella regionis obtinuimus. Cumque ibi moram facere disposuissemus, tanta fames in exercitu fuit, vt corpora Saracenorum iam fætentiũ, à populo Christiano ibi comesta sint. Deindè cum in-

Idem l. 4. c. 9. 10. l. 5. cap. 22.

Idem lib: 6. cap. 5. 6. 7.

Sacra Lancea reuelata.

VuilTyr. l. 7. c. 8. 9. 10. 11. 12.

teria Lusaniæ ingrederemur, largissimam & misericordem, & victoriosissimã manum omnipotentis Dei Patris nobiscum habuimus. Etenim ciues & Castellani regionis perquam procedebamus, ad nos cum multis donarijs legationes præmittebant, parati seruire nobis, & oppida sua dedêre; sed quia exercitus noster non multus erat, & in Hierusalem vnanimiter venire festinabat; acceptis securitatibus tributarias eas fecimus, quippe quod de multis ciuitatibus, in vna de illis, quæ ex minimis est, plures homines haberentur, quam in nostro exercitu essent. Cumque auditum esset Antiochiæ & Rhoes, quia manus Domini nobiscum esset, plures de exercitu, qui ibi manserant consecuti sunt nos apud Tyrum: hinc itaque Deo cooperante vsque ad Hierusalem peruenimus. Cumque in obsidione multum exercitus laboraret, maximè propter inopiam aquæ, habito consilio Episcopi & Principes, circumeundam esse ciuitatem nudis pedibus prædicauerunt; vt ille qui pro nobis humiliter ingressus est, per se iudicium de his hostibus faciendo, nobis eam aperiret.

Idem lib: 7. cap: 11.

Placatus itaque Dominus hac humilitate, octauo die post humiliationem, cum suis hostibus ciuitatem nobis tribuit, eo videlicet die, quo primitiua Ecclesia inde abiecta fuit, cum festum dispersionis Apostolorum celebraretur. In porticu Salomonis & in templo eius, nostri æquitabant in sanguine Saracenorum, vsque ad equorum genua. Deinde cum ordinatum

Idem lib: 8. cap: 18.

Idem lib: 8. cap: 17.

esset

esset qui ciuitatem retinere deberent, cum alij amore patriæ, & pietate parentum suorum redire voluissent; nunciatum est nobis Regem Babylonię Ascalonam venisse cum innumerabili multitudine militum, ducturum Francos qui Hierosolymis erant in captiuitatem, & expugnaturum Antiochiam; sed aliud Deus de nobis statuerat. Itaque descendimus obuiam illis, relictis sarcinis & infirmis Hierusalem cum præsidio. Cumque exercitus noster & hostium se conspexissent, genibus flexis adiutorem Deum inuocauimus, vt qui in alijs necessitatibus legem Christianam confirmauerat, in præsenti bello, confractis viribus Saracenorum & diaboli, Regnum CHRISTI & Ecclesiæ à mari vsque ad mare vsquequaque dilataret. Hic Dominus affuit, & tantas tribuit vires, vt in hostem currere, vt videntem fontem aquæ viuæ, sitientem ceruum segnem iudicarent: miro videlicet modo, cum in nostro exercitu non vltra quinque millia equitum, & centum quinquaginta millia peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in seruis suis Dominus apparuit, cum antequam confligeremus pro solo aspectu nostro hanc multitudinem in fugam vertit, & omnia eorum arma diripuit, vt si deinceps vellent repugnare, non citò haberent arma. Spolia inaudita, thesaurum regis Babylonis obtinuimus. Ceciderunt ibi Maurorum vltra centum millia gladio: timor autem eorum tantus erat, vt in porta ciuitatis ad duo millia suffocati sint. De his verò qui in mari interierunt non est numerus; Spineta

Idem lib: 9 cap. 10. 11. 12. 15.

etiam ex ipſis occiderunt. Pugnabat certe pro nobis Deus. Pridiè quam bellum fieret, multa millia camellorum, & boum, & ouium cepit exercitus: Principum iuſſu populus hæc diuiſit. Ad pugnam progredientes multæ turmæ horum animalium comitabantur miraculosè, & ſtabant cum ſtantibus, & currebant cum currentibus, nubes ab æſtu ſolis defenderunt nos & refrigerabant. Celebrata itaque victoria, reuerſus eſt exercitus Hieruſalem, relicto ibi Godefredo Duce. Comes S. Ægidij, & Robertus Comes Northmaniæ, & Robertus Comes Flandriæ, Laodiciam reuerſi ſunt, ibi claſſem Piſanorum & Bòémendi inuenerunt. Cumque Archiepiſcopus Piſanus Boemundum & dominos noſtros concordare feciſſet, regredi Hieruſalem pro Deo & fratribus ſuis Regimundus diſpoſuit. Ad hanc igitur tam admirabilem fratrum noſtrorum fortitudinis deuotionem, ad tam glorioſam Omnipotentis Dei retributionem, ad tam exoptabilem omnium peccatorum noſtrorum per Dei gratiã remiſsionem, & Catholicæ Chriſti Eccleſiæ & ipſius Latinæ, inuitamus vos ad exultationem & omnes Epiſcopos, & bonæ vitæ Clericos & Monachos, & omnes laicos, vt ille nos ad dexteram Dei conſidere faciat, qui viuit & regnat per ſæcula. Rogamus & obſecramus vos per Dominum Ieſum qui nobiſcum ſemper fuit, & collaborauit, & ex omnibus tribulationibus nos eripuit, vt fratrum ſitis memores veſtrorum, qui ad vos reuertuntur, benefaciendo eis,

& soluendo debita eorum, vt vobis Deus benefaciat, & vos absoluat ab omnibus peccatis, & in omnibus, quæ vel nos, vel illi apud Dominum meruimus, partem vobis concedat. Hactenus epistola Hierosolymis militantium, quæ in occidentali orbe vbiq; vulgata, omnium ferè incendit animos Hierosolimam adeundi, & subsidio Christianis ibi manentibus.

Paschalis Papæ responsum ad superiores literas

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus siue filijs, Episcopis, clericis, proceribus, militibus, & omni populo militiæ Christianæ in Asia triumphantis salutem & Apostolicam benedictionem. Legatio à Paschali Papa missa in orient.

Quod per Prophetam populo suo Dominus pollicetur, impletum in vobis cognoscimus; Inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo cum eis, quia per fidem in vestris pectoribus habitat, & per operationem ita inambulat, vt patenter in vobis inimicos suos expugnasse videatur. Renouauit enim Dominus antiqua miracula, vt in vno mille, & in duobus decem millia persequeretur, & his Ecclesiæ annis, sacerdotalium precum tubis inimicarum vrbium mœnia aperiret. Illud verò quanti gaudij, quàm potentis miraculi æstimatis, quod sacrosancti lateris

Leui. 16. & 2. Cor. 6.

Deu: 32.

Ioseph: 6.

sanguine cruentam lanceam, & viuificæ crucis partem vestris oculis reuelauit, vestris tractandam manibus obtulit? Quantas super his Redemptori nostro gratias debeamus, nec humanus animus opinatur, nec lingua præualet enarrare. Videmus enim Christianæ Fidei hostes, Christiani populi oppressores per diuinam misericordiam manu vestra partim contritos, partim è diu possessis regionibus effugatos: videmus Orientalem Ecclesiam post longa captiuitatis tempora, magna ex parte ad antiquam libertatis gloriam rediisse. Dicendum igitur ore, dicendum corde: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Orationi etiam & vigiliis insistendum, vt quod cœpit, adimpleat, & manus vestras, quas hostium suorum sanguine consecrauit, immaculatas vsque ad finem, affluentes firma pietate custodiat.

Luc: 2.

Quapropter agite, filij in Christo desideratissimi, rememoramini, quanta pro amore Domini reliqueritis, quanta pro fratrum salute & ereptione pericula subieritis: patriam, domos, parentes posthabuistis, vosmetipsos exilio addixistis, morti opposuistis: curate nunc ad meliora semper tendere, pacem cum

omnibus conseruate, vt poßitis ad æternam pacem Domini misericordia peruenire. Plurima vobis significare per chartam & atramentum supersedemus, quoniam ex Apostolicæ Sedis gremio charißimum fratrem Mauritium Portuensem Episcopum destinamus, vt qui per beati Petri Vicarium, sanctæ in Christo memoriæ prædeceßorem nostrum Vrbanum tanti peregrinationem itineris aßumpsistis, beati Petri solatijs semper abundetis, & quem fundamentum tanti operis habuistis, ipsum quoque ad finem caput in fide & obedientia teneatis. Vices etiam nostras eidem fratri Mauritio & Episcopo cõmisimus, vt eum in omnibus reuerenter excipere, audire, & per ipsum nobis, imò beato Petro obsequi debeatis. Cui nimirum in præceptis dedimus, vt ecclesiæ, quam per vos Dominus liberauit, seu liberaturus est, ordinationi vigilanter immineat, si quæ minus Canonicis regulis apta repererit, corrigat, & in eisdem cum vestro auxilio plantanda plantet, ædificanda ædificet. Hortamur itaque hortantesq́ præcipimus, vt ei tanquam personam nostram præferenti, in omnibus obedire curetis. Omnipotens Dominus & velle & poße in vobis tribuat, vt quæ

eo auctore facienda cognoscitis, ipso adiuuante impleatis. Ipse vos ab omnibus peccatis absoluat, & exilio vestro patriam æternam tribuat. Dat. Romæ quarto Nonas Maij, Indictionis octauæ, , per manum Ioannis diaconi, hæc ad militantes in Oriente Occidentales Fideles Paschalis Papa.

CAPVT TERTIVM.

Godefredi in Regem Hierosolymitanum inauguratio, Canonicorum ad Ecclesiam sancti Sepulchri noua institutio: Noui item Patriarchæ primi ex Latinis electio, simul & obitus pijssimi regis notantur.

IN relatione rerum à Christianis post receptas Hierosolymas gestarum, quæ satis amplæ magnificæque fuerunt, & quæ graui stylo Tyrius imprimis Archiepiscopus Tyri, Regni Hierosolymitani Cancellarius percensuit, & alij ante, & post eum multi clarissimi & de literis optimè meriti viri, satis abunde præstiterunt, nobis illa minime repetere conuenit, ea saltem quæ ad almi Ordinis Canonicorum sancti Sepulchri iteratam institutionem spectare dignoscuntur à nobis recensenda erunt. Sancta itaque Ciuitate à Christianis subiugata, mox concordibus omnium suffragijs eligitur in Regem Godefridus Bo-

Vuil. Tyrius lib. 9. c. 9. fol: 767.

lioneus Lotaringiæ Princeps, Dux sacri belli, qui etiã primus in muros Hierosolymitanos se intulisse fertur, quo tempore summa ipsius enituit religio: nam cum inaugurari debuisset, aureum diadema imponi sibi non permisit, quod nefas esse eo loci insigniri auro, quo Christus Rex regum, pro redemptione humani generis, spinis fuerat coronatus, testaretur. Hic ante omnia sicut vir religiosissimus erat, (ait Tyrius) in his quæ ad cultum Dei, decoremque domus eius spectabant, cæpit suæ solicitudinis Domino offere primitias. Nam protinus Ecclesiam S. Sepulchri à Saracenis contaminatã, cum ingenti omnium Christianorũ lætitia cõsecrari fecit, ad quam etiã Canonicos instituit, eisq; ampla beneficia quas præbendas vocant, simulque & honesta domicilia, circa prædictam amabilem Ecclesiam assignauit. Qui assiduis Domino Deo viuenti in laudibus & hymnis psallerent, hostiam corporis & sanguinis IESV Christi, deuote immolarent, obligans illos ad ordinẽ & institutionem seruandam, quam ex præscripto Romanæ Ecclesiæ, magnæ & amplissimæ vltra montes seruant Ecclesiæ. De quorum etiam institutione Christianus Adrichomius, in suo nobilissimo Theatro terræ sanctæ, hanc celebrem mentionem facit. *Porrò inter cætera, quæ in Ecclesia sancti Sepulchri notatu reperiuntur digna, illud minime omittendum est, quod hic omnes ex Christianis Hierosolymorum reges sibi sepulturam elege-*

Obligationes Canonicorũ S. Sepulchri.

Adrichomi⁹ in descriptione vrbis Hierosolymæ parte vrbis 242. fol. 177.

rint. Inprimis vero primus Hierosolymitanæ Vrbis christianus Rex Godefridus de Bullion, cum viuus hanc Ecclesiam opimis Sacerdotiis, atq; Canonicis doctrina & sanctitate eximiis exornaßet, qui horis diuinis ac nocturnis Diuina ibi peragerent mysteria, illisq; splendidißimas circa templum ædes extruxißet, tum etiam mortuus magnifica & digna tanti principis corpore sepultura magnopere nobilitauit: Hæc Adrichonius. Ex his Arnolphum de Rhoes, clericum miræ prudentiæ & facundiæ, Cancellarium & Archidiaconum eiusdem Ecclesiæ, primum fuisse constitutum, qui procurator sanctarum Reliquiarum, & custos Eleemosynarum fidelium esset, narrant illius æui scriptores. Sic diuino decenter obsequio instaurato à Duce Catholico primo ex Latinis Hierosolymorum Rege; reliqui Christiani Principes, campanas ex ære fieri iusserunt, quarũ signum Fratres, (inquit Fulcherius) dum caperent, mox ad Ecclesiam Laudes Psalmorum, Missarumque vota celebraturi festinarent, & populus hæc auditurus, vnâ ad reddenda Deo vota properaret: non enim huiusmodi soni aut signa visa vel audita sunt ante hos dies in Hierusalem. Patriarchæ autem electionem tunc dilatam fuisse, ait idem author, donec à Romano Pontifice consilium quæsissent, quem præfici placeret, viduata siquidem tunc erat Hierosolymitana Ecclesia, Patriarcha Simeone viro sanctisimò, in Insula Cypro tempore obsi-

Fulcherius Carnotensis in gestis peregrinantium Franco: cap. 18. fol. 399.

Tyrius li: 9. cap. 4. fol. 765.

dionis

dionis Hierusalem ex hac luce subtracto. Qua tempestate, narrat Tyrius, inuentam fuisse in parte sanctę Resurrectionis Ecclesiæ seorsum, portionem vnam Crucis Dominicæ, quam ob metum gentium, quarum iugum patiebantur fideles, ad ampliorem cautellam, multo ante, paucis admissis, occultatam, eamque studio & opera cuiusdam hominis Syri, qui eius tàm preciosi depositi fuerat conscius, repertam, theca reconditam argentea, primum ad Domini Sepulchrum, deinde ad templum Domini, cum hymnis & canticis spiritualibus deportatam, prosequente eam vniuerso clero & populo, consolationem quasi de cælo missam omnes in commune accepisse, dictus author recenset. Posthæc annuente sedis Apostolicæ supremo gubernatore vniuersali ac pastore, Daibertus seu Theobertus, Pisanus Archiepiscopus, cum potestate Summi Pontificis, in terra sancta Legatus, Vir prudens & religiosus valde (vt notat Tyrius) habito prius generali Conuentu Principum, & eorum qui aderant Episcoporum, post celebratam diem Natalis Domini in fine anni 1099. in Patriarcham Hierosolymitanum electus, & Primus ex Latinis in sede Hierosolymitana collocatus: à quo deinceps religiosè admodum Christianissimus Princeps Godefridus, inuestituram Regni Hierosolymitani accepisse memoratur. Quo facto, ab eodem pijssimo Rege, Ecclesię sancti Sepulchri dotes & possessiones assignatæ esse leguntur, quales antecessores Patriarchæ habuisse noscerentur; & his alię

Theobertus primus ex Latinis Patriarcha Hierosolymitanus

Tyrius lib. 9 cap: 15. fol: 771.

Annus Christi 1099.

pluresadditæ, vt haberet vnde honestè sustentari possitDomus Patriarchalis. Resignasse si quidem pius ac deuotus Princeps, præsente clero & populo vniuerso, quartam partem Ioppe, & quartam partem Ciuitatis Hierusalem, quæ à multis retroactis temporibus ad Hierosolymitanos Patriarchas pertinuisse dicebatur. Contineri autem in quarta ista parte vrbis (narrat Tyrius) locum venerabilem Dominicæ Passionis & Resurrectionis; vtrumque Monasteriũ hospitalariorum sancti Ioannis, virorum scilicet, & sanctimonialium, quorum vtrumque cognominabatur, S. Mariæ de Latina. Domum item Patriarchalem & Canonicorum Dominici Sepulchri Claustrum, cum suis pertinentijs idem author recenset. Verum tam pio & religioso Rege non diu lætatæ sunt Hierosolymæ, nam anno exacto, eo ipso die & mense, quo Hierosolyma per eum recuperata fuit, aduersa correptus valetudine, sumpto prius salutis nostræ viatico, (vt de his fuse narrat Tyrius) tanquam verus Christi Confessor, & primus Canonicorum sancti Sepulchri instaurator, in fata concessit, cum beatis spiritibus vitam possessurus æternam. Anno ab Incarnatione Domini 1100. Narrant hi qui loca sancta adierunt, extare hucusque eius Sarcophagum in Golgotano delubro, cum hoc Epitaphio ãtiquo Longobardorũ charactere insignito.

Tyrius li: 9. cap: 16. & 17. fol. 771.

Obitus Godefridi Annus Christi 1100.

Hic iacet inclytus Dux Godefridus de Bullion, qui totam istam terram acquisiuit cultui Christiano: Cuius anima requiescat in pace.

Huic

Huic in Regno succeſsiſſe traditur Balduinus frater, Comes Edeſſanus, qui edita ingenti ſtrage Saracenorum: Antipatridem, Cæſaream, Ptolomaidam, Tripolim, & Berytum vi expugnatas, Regno Hieroſolymitano adieciſſe fertur. Sed nos rerum olim à Chriſtianis in Aſia geſtarum obmiſſa narratione, noſtrum quod ad Ordinis Canonici demonſtrationem pertinet proſequimur inſtitutum.

CAPVT QVARTVM.

Gibelini ſecundi ex Latinis Patriarchæ electio eiusq; obitus, & duarum ſedium Epiſcopalium erectiones, cum tertij Patriarchæ inſtitutione, breuiter recenſentur.

MOrtuo poſtmodum Theoberto, primo ex Latinis Patriarcha Hieroſolymitano, quem annis ſeptem Cathedræ Iacobi præfuiſſe, eumq; ſumme religioſum & omnibus numeris abſolutum antiſtitem fuiſſe narrat Tyrius, Canonicos Eccleſiæ ſancti Sepulchri vnanimi voto & conſenſu, Gibelinũ Arelatenſem Archiepiſcopum, cum munere Legati à Summo Pontifice Hieroſolymam miſſum, virum ſenem & grandæuum, in demortui locum ſubſtituiſſe anno Chriſti 1107 idem author recenſet. Qui Diœceſis ſuę fines ampliare cupiens, mox ea de re Legatos ad Summum Pontificem miſit, votiq; compos factus pro

Tyrius lib 11. cap. 4. fol. 797.

2. Patriarcha Hieroſolymitanus Gibelinus.

Annus Chriſti 1107.

Ecclesia Hierosolymitana hoc primum Diploma obtinuit.

Tyrius lib. 11. cap. 28. fol. 813.

Paschalis Episcopus Seruus seruorum Dei, Reuerendissimo fratri, Hierosolymitano Patriarchæ Gibelino, & successoribus eius in perpetuum Canonicè promouendis, salutem & Apostolicam benedictionem. Secundum mutationes temporum, transferuntur etiam Regna terrarum, vnde etiam Ecclesiasticarum Parochiarum fines, in plerisque Prouincijs mutari expedit, & transferri: Asianarum si quidem Ecclesiarum fines, antiquis fuerunt definitionibus distributi, quas distributiones, diuersarum diuersæ fidei gentiũ, confudit irruptio; Gratias autem Deo, quod nosttis temporibus, & Antiochia & Hierosolyma ciuitates, cum suburbanis suis, & adiacentibus Prouincijs, in Christianorum Principum redactæ sunt potestatem. Vnde oportet nos Diuinæ mutationi & translationi manum apponere, & secundum tempus, quæ sunt disponenda, disponere, vt Hierosolymitanæ Ecclesiæ, vrbes illas & Prouincias concedamus, quę gloriosi Regis Balduini, & exercituum eum sequentium sanguine, per Dei gratiam acquisitæ sunt. Præsentis itaq; decreti pagina tibi frater charissime, & Coepiscope Gibeline tuisque successoribus, & per vos sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, Patriarchali siue Metropolitano iure regendas, disponendasque sancimus. Ciuitates omnes atque Prouincias, quas supradicti regis ditioni aut iam restituit, aut in futurum restituere gra-

tia Diuina dignabitur. Dignum est enim, vt Sepulchri Dominici Ecclesia, secundùm fidelium militum desideria, competentem honorem obtineat, & Turcorum seu Saracenorum iugo libera in Christianorum manu abundatius exaltetur. hactenus Bulla Pasch: PP.

Porro eodem ferè tempore Ecclesiam Betleemiticam, ex Prioratu Canonicorum sancti Sepulchri, in Sedem Episcopalẽ, de voluntate & assensu dicti Papę, erectam fuisse docet Iacobus de Vitriaco, primumque eius Episcopum Aschetinum nomine, Ecclesiæ sancti Sepulchri Cantorem, de gremio Canonicorum electum ad eam fuisse institutum: narrat Tyrius, apud quem integras erectionis dicti Episcopatus literas inuenies. Similiter Ebronensem Ecclesiam, quæ etiam fuerat Prioratus Canonicorum sancti Sepulchri, ob reuerentiam seruorum Dei (nam in ea sepultos Adamum cum Eua, & tres Patriarchas, Abraham, Isaac, & Iacob sacra pagina testatur) ad Episcopalẽ dignitatem sublimatam fuisse, tradit Cardinalis Vitriacus. Posthæc in fata concessisse Gibelinum Patriarcham anno sedis suæ quarto, anno vero à Natiuitate Domini IIII. Scriptores illius æui referunt. In cuius locum substitutus legitur Arnulphus de Roés, Archidiaconus Ecclesiæ sancti Sepulchri. Qui ad primæuam institutionem Apostolicam suos Canonicos reduxisse, eisque vitæ communis normam præscripsisse memoratur. In quo Instituto postmodum continuè illos permansisse, Confirmationemque sui Ordinis à sede

Iacobus de Vitriaco in historia Hierosol: abbreuiata ca: 57. fol: 1077. Tyrius lib: 11. cap: 12. fol: 802.

Iacob: Vitriacus loco supra citato. Obitus Gibelini Patriarchæ. Annus Christi 1111. 3. Patriarcha Hierosolymitanus Arnulphus.

Apostolica obtinuisse, Bulla Cælestini huius nominis Papæ secundi, quæ in Archiuo Ecclesiæ Rauenatensis authentica extare dicitur, apertè declarat, quam hoc loco subiungendam operæ precium duximus.

CAPVT QVINTVM.

Cælestinus Papa secundus Ordinem Canonicorum sancti Sepulchri sub Regula S. Augustini approbat, eorumq́ Ecclesias & possessiones in protectionem Sedis Apostolicæ recepit.

Cœlestinus Episcopus Seruus Seruorum Dei.

Electus in Pontificatũ Anno 1143. illo die quo Innocentius tertius è viuis decesserat: tenuit Pōtificatũ mensibus sex. Obiit autem Anno Dom 1144. Mare Oceanum omniũ Ordinũ Sylvestri Maruli, in descriptione Ord: Canonicor: S. Sepulchri.

DIlectis filiis Petro Priori, & Fratribus sancti Sepulchri Hierosolymitani, tàm præsentibus quàm futuris Canonicè substituendis in perpetuum. Si mansuetudo & liberalitas sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vniuersis Christianis debet oportuna solatia ministrare, multò magis his, qui religiosam vitam ducunt, & Omnipotenti Domino familiarius adhærere videntur, idipsum conuenit propensius impartiri. Quia igitur dilecti in Domino filij, iuxta Regulam B. Augustini viuere decreuistis, & in loco vbi steterunt pedes Domini adorantes, apud gloriosum Sepulchrum eius, in quo triduo corporaliter requieuit, & alia sacratissima loca, in quibus

Redem-

Redemptor mundi pro salute nostra, vincula, flagella, crucis ignominiam, vulnera, mortemq́ sustinuit, regulariter militatis, maiori vos beneuolentia & gratia dignos esse censemus, & paternis vos affectibus volumus confouere. Vestris ergo postulationibus, debita benignitate, accom̃odantes assensum, Sacrosanctam Ecclesiam sancti Sepulchri, in qua Diuinis Officiis insistentes, Passionem Dominicam, & victoriosissimæ Crucis trophæum, assiduè oculata fide recolitis, nec non etiam personas vestras, sub Beati Petri, & nostram protectionem suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus: Statuentes vt quascunque possessiones, quæcunq́ bona, eadem Ecclesia, in præsentiarum Canonicè possidet, quæcunq́ etiam ab egregiæ memoriæ viris, Duce videlicet Godefrido, & vtroq́ Rege Balduino, Venusto, & aliis Patriarchis, eidem loco iustè collata sunt, aut in posterum à Patriarchis & alijs Dei fidelibus rationabiliter conferentur, firma vobis & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; Medietatem videlicet oblationũ sancti Sepulchri, & omnes oblationes Dominicæ Crucis, nec non & omnes oblationes Altarium, in

Ecclesia S. Sepulchri existentium, sicut Patriarcharum dono vobis rationabiliter donatæ sunt; Domos, stationes, & furnos omnes Ciuitatis Hierusalem, exceptis duobus Hospitalis videlicet, & Ecclesiæ S. Mariæ Latinæ, sicut dono Ducis Godfredi, & fratris eius Regis Balduini, & aliorum bonorum hominum, vobis legitime concessa sunt. Cassalia quæ possidetis in territorio Hierusalem, Machumeriam videlicet cum pertinentiis suis, Sabareth, Casarcab, Calandriam, Armotiam, Ramittam, Berteligel, Betsare, Dessans cum pertinentiis suis. In territorio Ramensi, Beth Casale cum pertinentiis suis. In territorio Cæsariensi Castellum Feniculi cum pertinentiis suis. In territorio Tyri Casale de Riua cum pertinentiis suis. Hortum quem habetis intra murum, & antemurale Ciuitatis Tyri. Hortum & molendina & alias possessiones, quas habetis intra & circa Antiochiam. Ecclesiam Quarantane cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Petri in Ioppe cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Sepulchri in Acon cum terra & domo, quam dedit vobis Lambertus Hals & aliis pertinentiis suis. In territorio eiusdem Ciuitatis, Ecclesiam S. Mariæ de Numas cum per-

tinentiis suis. Ecclesiam S. Mariæ in Ciuitate Tyro cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Sepulchri in Monte Peregrino cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Sepulchri in Montanis cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Sepulchri in Brundusio Ciuitate cum pertinentiis suis. Ecclesiam S. Sepulchri in Barleto cum pertinentiis suis. Ecclesiam quam habetis in Venosa Ciuitate, dono Nicolai eiusdem ciuitatis Episcopi cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Sepulchri iuxta Troiam Ciuitatem cum pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Theodorij martyris ante Portam Beneuentanæ Ciuitatis cum pertinentiis suis. Castellum Cerret. cum pertinentiis suis, quod nobilis vir Albertus Blandracensis Comes: Ecclesiæ sancti Sepulchri donauit. Ecclesiam quam habetis in Episcopatu Constantiensi, in villa quæ vocatur Detrendorf. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat, præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut etiam possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura. Salua Apostolicæ Sedis, & Pa-

triarchæ Hierosolymitani reuerentia, & Episcoporum in quorum Parochiis Ecclesiæ vestræ sitæ sunt Canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisuè persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo tertiouè commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisq́ sui dignitate careat de perpetrata iniquitate, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat: Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. S. Petrus. S. Paulus. Cælestinus PP. II.

✚ Ego Gregorius Presbyter Cardinalis Tituli sancti Calisti subscripsi.
✚ Ego Gorzo Presbyter Cardinalis Tituli sanctæ Cæciliæ subscripsi.
✚ Ego Vbaldus Presbyter Cardinalis Tituli sanctorum Ioannis & Pauli subscripsi.

✠ Ego Vbaldus Presbyter Cardinalis Tituli sanctæ Praxedis subscripsi.
✠ Ego Cælestinus Catholicę Ecclesię Episcopus subscripsi.
✠ Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.
✠ Ego Theodeuinus sanctæ Rufinæ Episcopus subscripsi.
✠ Ego Albericus Hostiensis Episcopus subscripsi.
✠ Ego Stephanus Prænestinus Episcopus subscripsi.
✠ Ego Imarus Tusculanus Episcopus subscripsi.
✠ Ego Gregorius Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergii & Bacchi subscripsi.
✠ Ego Orco Diaconus Cardinalis sancti Georgii ad velum aureum subscripsi.
✠ Ego Octauianus Diaconus Cardinalis sancti Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi.

Dat. Lat. per manum Gerardi S. Rom. Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis ac Bibliotecarii 4. Idus Ianuarii. Indictione VII. Incarnationis Dominicæ Anno M. CXLIIII. Pont. verò Domini Cælestini Papæ II. Anno primo. Annus Christi, 1144.

CAPVT SEXTVM.

Elucidatio Ecclesiarum Ordinis quæ in Bulla recensentur, cum specificatione aliarum ad eundem Ordinem antiquitus spectantium.

QVanta fuerit eminentia almi Ordinis Canonicorum Sacrosancti Sepulchri, dum adhuc in Palestina res Christianorum integræ erant, vel ex hac præinserta Bulla quisque facilè agnoscet, cum & possesionum & præcipuarum Ecclesiarum, quæ in ea recensentur, numerum apud se expendet.

Porro omissa possessionum ad ordinem spectantium declaratione, ipsarum saltim Ecclesiarum venerandā maiestatem, silentio præterire non licet. Inprimis quod attinet EcclesiamQuarantanæ; Fuisse hanc celebrem ad montem altum, & ascensu difficilem densis syluis consitum inter Hierusalem & Iericho, ab Helena in memoriam sancti Ioannis Baptistæ constructam; ad quam postea opera Christianorum Principum, satis amplum Monasterium accessit, narrat Vitriacus; cuius etiamnum peringentes superesse reliquias, cubicula nempe & fornices aliquot, collapsa tamen & ruinosa omnia, Ioannes Cotouicus in suo Itinerario Hierosolymitano recenset. *In quo loco venientem ad se Christum vt baptisaretur, S. Ioannes illa verba promens ecce Agnus Dei, digito demonstraße fertur. Vbi etiam Christus solitarius, quadraginta diebus & noctibus ieiunaſſe perhibetur.*

Vitriacus Historia Hierosolymitana abbreuiata cap. 52. fol: 1075. Ioā: Cotou: lib. 2. c. 9. fol: 248.

Ecclesia sancti Petri in Ioppe vrbe antiquissima, à Iaphet filio Noë, ante diluuium condita, sita ad mare in edito promontorio, littore saxoso, alto & arduo, adeò vt Hierosolyma conspici posſit. *In hac D. Petrum, Tabitam à morte suscitaſſe, hic hoſpitatum apud Simonem Coriarium cuius domus erat sub rupe poſita, iuxta mare,* quo loci postea hæc celebris Ecclesia in honorem ipsius constituta fuisse dicitur: *eo loci viros quoq; de Cæsarea à Cornelio Centurione*

Acto: 9. 10. Teatrum terræ S. f. 23.

An-

Angeli monitu missos eum excepisse constat. Hic etiã extra se raptum, vidisse vas instar lintei magni è cœlo in terram demissum, quadrupedibus, serpentibus, & volatilibus cœli refertum, audiuisseq; vocem de cœlo dicentem sibi: Petre occide & manduca, Acta Apostolorum testantur. Hanc quondam Episcopali sede, quæ Patriarchæ Hierosolymitano suffraganea erat, Christianis Palestinam moderantibus, claruisse, & Canonicorum sancti Sepulchri magna ex parte hæreditariam fuisse, præcipui illius æui scriptores memoriæ prodiderunt: postea expugnatam à Turcis ciuitatis faciem amisisse, & lapidum potius congeriem nunc, quam Ciuitatem appellandam censet Cotouicus.

Ecclesia sancti Sepulchri in Acon: quæ alio nomine Ptolomais vel Ptolomaida, à Ptolomæo quondam Rege sic dicta, ab Hierosolyma triginta sex milliaribus distans, Episcopali sede quæ Tyrensi Archiepiscopo suberat quondam clara. In hac vrbe, vt Bulla docet, templum insigne S. Sepulchri, & magnis reditibus dotatum, Canonici Hierosolymitani habebant. Ioan: Coto: itinerario Hierosoly-mit. lib: 2. c. 1. f. 134.

Ibidem non procul à Ptolomaida Ecclesiam sanctæ Mariæ ad Numas dictam, frequenti peregrinatione hominum illustrem possedisse noscuntur.

Ecclesia S. Mariæ in Ciuitate Tyro, omnium quas Phænicia habet maxima, & munitissima, ac vniuersæ Phænices Metropoli, quæ propter negociationem, opulentiam, ac populi frequentiam, nedum in profa-

nis, verum & in ſacris literis longè eſt celeberrima, quam etiam Archiepiſcopali Cathedra (cuius poſt Patriarcham Hieroſolymitanum proxima erat dignitas) nobilitatam fuiſſe conſtat. In hac vrbe præter Eccleſiam S. Mariæ, Templum Cathedrale titulo S. Sepulchri inſignitum, Adrichomius commemorat. Vbi Friderici Barbaroſſæ corpus, dum fuſos inſequitur hoſtes, flumen traijcere volens, ab equo lapſus, & armorum onere ab aquis obrutus, celeberrimis exequijs omniumque luctu, ſepultum eſſe memoriæ proditur. vbi etiam illuſtre Origenis ſepulchrum, inſigni titulo in marmorea columna, auro gemmiſque ornato tum viſebatur.

Adricho: in Theatro terræ ſanctæ fol: 9.

Eccleſia S. Sepulchri in Monte Peregrino: Caſtrum hoc erat & oppidum, naturali ſitu & artificum induſtria egregie munitum. Quod Raymundus Comes Tholoſanus, in monte quodam ante Vrbem Tripolitanam, vix ab ea duobus milliaribus diſtante, condidiſſe, eique, quoniam peregrinorū opera conſtruebatur, Peregrini nomen indidiſſe fertur; vbi vir magnificus Eccleſiam inſignem, ſub titulo ſancti Sepulchri exædificaſſe, liberaliterque dotatam, eiuſdem tituli Canonicis perpetuo regendam tradidiſſe comperitur.

Adrichon: Theatro terræ ſanctæ f. 186.

Eccleſia S. Georgij in Montanis; Quintuplicia à Hiſtoriographis, qui de locis ſanctis ſcripſerunt, recenſentur Montana, Ephraim, Ebron, Iudeæ, Moab, & Saran. Fanum hoc diui Georgij, ad Canonicos S.

Ioan: Cotouicus Itinerario Hieroſolymit. l. 2. c. 1. f. 137.

Sepulchri pertinens, in Montanis Iudeæ conditum fuisse versus Liddam vrbem antiquissimam, Diospolim antiquitus appellatam, D. Gregorij martyrio ac tumulo & inprimis Petri Apostoli prædicatione & miraculo celebrem, in martyris memoriam à Richardo Angliæ (vt aliqui putant) restauratum, supra fundaméta antiquioris delubri, à Cæsare Iustiniano olim erecti, compertum ex Historicum scriptis habetur; Id hodie partim in Mesitam Turcorum versum, partim etiam cum adiuncto Monasterio, in Caligerorũ Greci ritus monachorum domicilium cessisse, narrant hi, qui nuper loca sancta adierunt.

In Regno quoque Neapolitano, hanc congregationem, multas Ecclesias & Conuentus possedisse narrat Syluester Marulus. Ac inter cætera Ecclesiam S. Sepulchri, quæ etiam in Bulla recensetur; Similiter Brundusij & Barleti, quæ olim Barulum communiter dicebatur. Item Venusiæ quæ Venosa & Venusium nominatur antiqua Apuliæ Peucetiȩ vrbe, Horatij Flaci Poëtæ patria. Troiæ etiam & Beneuenti ante portam S. Theodori martyris, clarissimis regni Neapolitani vrbibus, celebres olim fuisse Ecclesias Canonicorum S. Sepulchri idem Syluester Marulus recenset.

Syluester Marulus in suo Mari oceano omnium ordinũ.

Per Siciliam quoque prædictam Congregationem dictus author sparsam fuisse tradit. Nam & Messanȩ, vrbe Archiepiscopali, emporio celebri, Ecclesiam S. Crucis quæ non multum à muro ciuitatis distabat, pulchra & eleganti antiqua forma, cum precioso pa-

uimento, habentem amplum adiunctum Prioratum narrat dictus author. Quam Ecclesiam vna cum alijs viginti duabus fuisse destructam, & terræ adæquatam, ex ordinatione Ferrantis Gonzagæ pro illo tempore Viceregis Siciliæ, accendente consensu Antonij Ligname Archiepiscopi Mesſinensis, in mense Iunio anni 1537. refert. Quo tempore loco placandæ iræ Diuinæ, etenim tota insula erat plurimum afflicta, partim à terræ motu, partim ab insolito incendio, de Mongibello, quod præter flammam & lapides, quos foras eijciebat, & edebat sonum ad instar tonitrui, euomebatque cineres ambustos, qui ad centum milliaria vndiquaq; terram cooperiebant, & fauillæ flammarum, ac petræ cum tanta violentia prosiliebant, vsque ad Ciuitatem Messanam, & Falernum, & ad Ciuitatem Costinam Calabriæ, vt suo impetu obuias Ecclesias & Monasteria prosterneret. Tali ergo, inquam, luctoso tempore, loco placandi Diuini numinis, adæquarunt tot sacra templa & altaria, authores tamen adeo impij sacrilegij non remanserunt impuniti: Siquidem, quemadmodum notat Franciscus Manrulicus lib: 6. historiæ suæ Siciliensis, manifesto Dei iudicio, omnes intra annum perirerunt. Et vnus Canonicus appellatus Andreas Simonis, qui ex parte dicti Archiepiscopi, primum ictum dedit in demoliendis ijs Ecclesijs, mortuus est ex vno graui vulnere, Diuinitus in caput inflicto, ob eam causam, quod ausus fuerit primus sacras ædes demoliri. Sed redeundo ad nostrum pro-

positum (pergit Marulus) Ecclesia dicta & Prioratus sanctæ Crucis, fuerunt ab alienata à prænominatis Canonicis Regularibus sancti Augustini, illo ipso anno, quo templum fuit demolitum, vnà cum ędificiis ipsius Prioratus. Ius autem præsentandi remansit penes Regiam Maiestatem, atq; eius mădato is Prioratus translatus fuit in Ecclesiam S. Pelagiæ, cuius ad præsens est Prior Commĕdatarius Dominus Don Andreas Roza, vir reuera optimorum morum & probitate vitæ. Alter Prioratus qui adhuc restat, & habet amplas possessiones & feuda, est sancti Augustini extra muros Ciuitatis Piacensis, fundatus à Simone Comite de Butera, quemadmodum clarè apparet, ex concessione & Priuilegio dicti Simonis Comitis, & suæ vxoris D. Thomasiæ Comitissæ, vigore cuius Priuilegij dant illi & concedunt Ecclesiam gloriosi Apostoli S. Andreæ extra muros Ciuitatis Piacensis, cum quatuor mollis & alijs possessionibus, ad dictam Ecclesiam spectantibus, Cappellam S. Agathæ in territorio eiusdem Ciuitatis Piacensis, prædium de Gallimica cum quinque colonis. Ecclesiam sancti Georgij iuxta Buterum cum suis pertinentijs. Ecclesiam antiquam S. Mariæ Piacensis cum omni planicie, aruis & vineis illius, & libero vsu lignorum, sub data pridie Calendar. Octobr. Anni 1106. Indictione 12. Cuius Prioratus prouisio in præsenti spectat ad Regiam Maiestatem. Et Priores Ecclesiæ dictæ, vsque ad hoc tempus deferunt in sinistra parte pallij crucem rubei coloris, cum inscriptione, *In*

hoc signo vinces; Et existimo hæc fuisse arma & insignia prænominatæ Religionis. Nunc autem illius Ecclesiæ Prior est Illustrissimus Dominus Iacobus de Bathumo Doctor S. Theol: & Capellanus suæ Maiestatis dignissimus. hæc Marulus. Cum autem nullam haberet, vir alioquin solertissimus, aliorum Conuentuum præfati Ordinis notitiam, maximè qui per Germaniam, Silesiam, Vngariam, & per nostram Poloniam frequentes consistunt, deplorare videtur nobilissimi olim Ordinis, iniquam sortem dum ait: *Et quidem ex tota ista congregatione & ordine, nihil aliud restat, nisi duo ipsi Prioratus Piacensis & Messinensis. Rei, inquit, certè digna cōpassione, quod vna religio adeò antiqua, nobilis, & locuples, fructifera arbor in horto S. Ecclesiæ, per incursiones barbarorum, in illis locis sanctis fuerit funditus extirpata, sine aliqua sui memoria.* Verum non te adeo dubitare oportet Docte Marule inuenies hanc plantam Sepulchri Domini in multis alijs orbis Christiani Prouincijs fæliciter propagatam, quemadmodum id libro tertio à nobis demonstrabitur: *Manebitq; & dilatabitur sub sancto Dei Patrocinio hic antiquissimus Ordo in tempora longissima.*

Adhæc in eadem Bulla Cælestini, recensetur Ecclesia, quam ordo noster habet in Episcopatu Constan-

tinensi, in villa quę vocatur Detrendorf. De hac etiã meminit Aubertus Miræus Protonotarius Apostolicus, in libello de origine & progressu Canonicorum Regularium. Et in alio loco alterius mentionem facit, dum ait; In Regno Aragoniæ in oppido Calataum, est illustris Abbatia sancti Sepulchri, cuius loci Religiosi crucis signum in veste exteriori gestant. Fallitur proinde in sua opinione Raphaël Volateranus, qui lib: 21 Comment. Vrbanorum, Ordinem sancti Sepulchri cum rubea & gemina cruce pene interijsse dicit.

Aubert⁹ Miræus de orig. Canon. fol. 150.

CAPVT SEPTIMVM.

Canonicorum sancti Sepulchri, quæ fuerunt antiquæ obseruationes, quæ Ordinis prærogatiua, testimonium Iacobi de Vitriaco.

QValem verò vitæ normam, posteriores illi ordinis nostri Hierosolymitani Patres seruauerint & ad quæ tenenda obligati fuerint, Iacobus Vitriacus Cardinalis & Episcopus Aconensis, qui vitam conuersationemque illorum tanquam proprius illorum Patriarchara satis exploratam apud se habuit, tali scripto ad posteros transmisit: *Illi, inquit, qui Canonici dicuntur, Beati Augustini Regulam pro fundamento Religionis habentes, media & regia via incendentes, secundum primas regularium insti-*

Aubert⁹ Miræus de pro gressu Canonicorum Regular. c. 5. fol. 23.

tutionum obseruantias, camisiis & femoralibus, superpelliciis & pellibus, culcitris & linteaminibus vtuntur, camisias & femoralia de nocte non deponunt. Post matutinas ad cubiculum reuertentes, causa recreationis dormiunt. Nouem lectionum numerum in nocturno officio non excedunt. Tribus diebus in hebdomada carnes edunt, pisces, oua, & caseum in Refectorio diebus aliis manducant. Ipsis autem prandentibus, vnus eorum diuinarum scripturarum recitat lectiones; Sub vnius Præpositi vel Prioris obedientia continenter viuunt. Propriũ autem eis habere non licet. Animarum curas licitum est eis suscipere, & Ecclesias parochiales regere. Alias præterea habent Canonicas institutiones, & decreta, quæ si diligenter, & cum timore Diuino obseruare, & adimplere studuerint, manna absconditum, & thesauros indeficientes, & præmiũ sempiternum, in splendoribus Sanctorum gloria & honore coronati possidebunt. Væ igitur illis, qui murmurantes, queruli, loquaces, & garruli, mendaces & detractores, inter fratres discordiam seminantes, ignaui, ociosi, & desides, secundum desideria sua ambulantes, inflati & inanes, inuidi, contentiosi &

impatien-

impatientes, auari & ambitiosi, incompositi & imprudentes, gulæ & renibus fræna laxantes, maioribus suis inobedientes, & primum votum irritum facientes, tàm sanctum Ordinem, quasi contemptibilem reddiderunt, multos scandalizantes, & tantò laicis impiores, quantò in operibus sanctitatis, prout altitudo, gradus, & ordo professionis exigit, debuerunt esse priores. De quibus scriptum est meretrices & publicani præcedent vos in regnum cœlorum, ipsi enim tanquam sepulchra dealbata, intus autem pleni immundicitiis, & ossibus mortuorum, & putredine cadauerum, adeo fœtentes, in naribus bonorum virorum secum cohabitantiũ effecti sunt, quod multi, cum iam sustinere non possent, ab eis discesserunt, ad aliam religionem, mutato habitu, fugientes. Quidam autem in eodem habitu, & sub eadem Regula permanentes, prædictis velut foliis defluentibus, fortiter persititerunt, ad obseruantiam Regulæ sanctæ, & reformationem Regularium institutionum, tam in se, quam in aliis tota virtute laborantes, & totis desideriis anhelantes. Ita Iacobus Vitriacus de Canonicis S. Sepulchri; Qui etiam de prærogatiua dicti ordinis hæc diligenti obseruatione digna recenset. *Habet, inquit, Hierosolymitanus Patri-*

Iacob. Vitriacus in Hierosol: Historia abbreuiata cap. 58. fol: 1078:

archa, Abbates & Priores sibi subiectos, Insignia pontificalia, baculos scilicet & mitras, annulos & sandalia, ex priuilegio dignitatis habentes, Domino Patriarchæ in ministerio reuerenter assistentes. Patriarchalis siquidem Ecclesia, quæ est Dominici Sepulchri, sub Monte Caluariæ, Canonicos habet Regulares, secundum habitum & Regulam Beati Augustini viuentes. Habent autem Priorem, ad quem cum prædictis Canonicis pertinet eligere Patriarcham, qui est eis loco Abbatis, hæc ille. Proinde omnino cæcutire ille facile conuincitur, qui Canonicalem titulum ac dignitatem ab ordine Clericorum sancti Sepulchri abstrahere nitatur, cum illi ijdem sint, qui ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordijs, cum Iacobo Apostolo Fratre Domini Hierosolymis morabantur.

Dixerit fortasse aliquis, amissa Custodia Sepulchri Dominici, illiusque Canonicis in remotas & diuersas Orbis Prouincias translatis, nihil sibi amplius superesse ad id nominis retinendum? Erraret profecto qui ita sentiret, nec enim paternæ stirpi ac cognationi, hæreditatis amissio cognomen paternum atq; adeo ipsam genealogiam in successoribus euacuat; Et quemadmodum Nilus fluuius in varios riuulos & brachia deriuatus nomen suum non amittit, omne namque deriuatum naturam sui primitiui consectari solet: ita Ordo & Congregatio Canonicorum sancti Sepulchri

vbique

vbique nunc extitit, quæ olim diuque Hierosolymis steterat maximè eo loci, vbi sacrum illud institutum sub omni fide & religione illibatum conseruatur, sicut in Conuentu Miechouiensi videre licet, meritoq; illius religiosos Clericos tali honore & nomine censeri debere. Summa enim Dei prouidentia factum comperimus, quod nunquam sacrum illud Canonicorum Collegium Sepulchri Dominici penitus extinctum fuerit, sed successio illorum, varijs licet attrita casibus,(vt nulla cunctis sub sole longi temporis fælicitas) perpetua mansit, iugiterque etiam nunc, quemadmodum inferius clare monstrabitur, permanet.

CAPVT OCTAVVM.

Patriarcharum Hierosolymitanorum continuatio, Militarium Ordinum institutio, Balduini tertij Regis Hierosolymitani Religiosa in Ordine Canonico professio, & Iaxæ Equitis Poloni in terram sanctam profectio.

ARnulpho in ordine tertio Patriarcha Hierosolymitano, de quo superius egimus, rebus humanis exempto. In eius locum Guarimundum natione Francum, Diæcesis Ambianensis, virtutibus & integritate vitæ pollentem, successisse narrat Tyrius. Anno Dñi 1118. Sub quo Hierosolymis Ordo Templariorum initium sumpsit, qui vrbi custodiendæ,

Lib: 2. c. 4. Obitus Arnulphi Patriarchæ. 4 Patriarcha Hierosolymitan⁹ Guarimundus. Annus Christi, 1118.

adducendisque tuto & reducendis ijs, qui nauibus appulsi peregre ad vrbem remearent destinati erant: Hi quoniam iuxta Templum Domini in Palatio Regio mansionẽ habebant, Fratres militiæ Templi; vel Templarij vocabantur; quibus postmodum de mandato Honorij Papæ Secundi, Ordinatione Stephani Patriarchæ Hierosolymitani, albus vestitus cum cruce de panno rubeo, non verò de serico, ad differentiam Canonicorum, assignatus fuit. Nouem autem annis (ait Tyrius) post eorum institutionem, in habitu fuerunt sæculari, talibus vtentes vestimentis, qualia pro remedio animarum suarum populus largiebatur: ijs Diuus Bernardus certam formam obseruationis in Concilio Trecen. constituit, qui etiam ad eosdem perutilem libellum scripsit, qui tum laudes eorum, tum exaltationem continet. Cuius est titulus; Ad Milites Templi. Eorum quoque præconia texuit PetrusCluniacensis in Epistola ad Euerardum Templariorum Magistrum. Qui breui tempore in præcipua orbis Christiani dispersi regna, & pia largaque beneficentia hominum, immensis locupletati opibus, cum se se in aulas Principum insinuassent, neglecta humilitate, quę omnium virtutum custos esse dignoscitur, ita degenerarunt à sua maiorumque virtute, & pristino instituto, vt de tollendis illis Principes consultauerint, extinctique perinde sunt sub Clemẽte quinto & Henrico Rege Galliarum 7. Anno 1307. Eorumque bona partim Rhodijs militibus, partim nouis familiis attri-

Vilhel: Tyrius l.12 c:7 Gene: Chrõ. L. 4. 605.

buta

buta. De quorum Instituto & excidio, si quis plenius edoceri cupit, legat Acta Concilij Trecensis Gallica sub Honorio Secundo, & Concilij Generalis Viennensis sub Clemente 5. Albertum Crantium in Vandalia lib: 7. cap: 47. Annales Ecclesiasticos Baronij Tom: 12. Anno 1118. cap:21. It. Anno 1127. cap:8. Item Tom:14. Anno 1307. cap:4. & sequentibus; Cromerum de rebus gestis Polonorum lib: 6. Item: lib:8. & passim apud alios. Mortuo posthæc Guarimundo Stephanus in ordine quintus, antea Abbas S. Ioannis Carnotensium, postea professione Canonicus S. Sepulchri, affinis Balduini Regis, sicut nobilitate, ita & moribus præstans, in demortui locũ successisse narratur, sed non diu Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuit, exacto si quidem in Cathedra Iacobi tantum biennio, fatis concessisse legitur anno 1130. In cuius locum, electione venerandi Capituli Dominici Sepulchri, Vilhelmus Belga, Prior eiusdem Conuentus vir (quemadmodum scribit Tyrius) forma decorus, & valde deuotus, in ordine Patriarcharum sextus anno eodem successit: Cuius temporibus alter ordo militiæ sacræ, Hierosolymis institutus esse comperitur; qui etiã excubias ageret, pro Christiano orbe perpetuas, & Regi adesset in reprimendis & extirpandis hostibus, nouo Regno infestis, finibusque tutandis; & præstaret accedere terram sanctam volentibus, tuta itinera, terra marique latronibus depulsis: Hic Ordo Hospitalis à professione S. Ioannis Baptistę no-

Concilia generalia & prouincialia Tom: 3. fol. 471. It: Folio 763.
Albert. Crãt lib. 2. Vand. Cap: 46.
Histo: Ecc: Michael: Buchingeri Fol: 239.
Obitus Guarimundi. Patriarchæ Hierosolymit.
5 Patriarcha Hierosolym Stephanus.
Annus Christi, 1130.
6 Patriarcha Hierosoly. Vilchelm⁹.

men adeptus initio, posteriori demum tempore, Dominorum Rhodiorum titulo celebratior, notiorque euasit, cuius ordinis profeßi, in peculiari habitu, albam crucem deferebant, qui cum plurimas maris Mediteranei insulas, bello domitas, perpetuo contra Saracenos & Turcas præsidio muniuisset, magno Europæ vniuersæ cum commodo, diu enim represserant hostes magno successu, adiuti vicinorum Regum & Imperatorum auxiliis. Nunc deserti ab omnibus, & Imperij Turcici circumfusa potentia fracti, Rhodo iam pridem amissa, ægre se se intra Melitæ Insulæ angustias tuentur & sustinent; appellanturq; nunc cõmuni vocabulo Melitenses, seu Maltenses milites, de quibus abundè Iacobus Bosius lucidißimus scriptor, in eorum Historia; nobis attigisse satis. Posteriori demum tempore Anno videlicet 1198. post amissam Hierosolymam, tertius ordo Religiosæ militiæ, apud vrbem Ptolomaidam, vbi multi Christianorum ab Hierosolymis diuerterant, sub titulo Hospitalis B. Virginis Teuthonicorum (nam in ordinem non nisi Germani, ijdemq; nobiles admittebantur) cæptus esse inueniuntur, qui ex vtroque priorum mixtus fuit, nam & ipsi recipiebant peregrinos; & neceßitate exigente, etiam armis pro religione pugnabant. Hos Celestinus Papa huius nominis tertius, rogatu Henrici Imperatoris, veste alba & cruce nigra donauit, subiecitque sub Regulam S. Augustini. Quos Conradus Mazouiæ Dux, feritate ac varijs Prussorum afflictionibus attri-

Annal: Eccles: Baron. Tom 12. Anno, 1198, cap: 12.

tus,

tus, Anno 1230. ex Almania in Poloniam euocasse, ipsosque in primario eorum aduentu, in Castro Dobrzyn locasse, à Scriptoribus Polonicis memoriæ proditur. Hi postea aucti sunt Liuoniensibus, qui illis se adiunxere: Horum perfidiam Poloni multoties experti, cum eos nulla ratione ad officium reuocare & in fide constabilire potuissent, ferro tandem illos sustulerunt, & ius suum antiquum in Prussia, abolito illorum Ordine, recuperauerunt. De quorum initijs & progressibus, plura legere licet apud Crantium lib: 6. Vandal: cap: 28. Item apud eundem in Saxonia lib. 8 cap. 3. Item in Metropoli eiusdem pluribus in locis, passim quoque apud scriptores Polonicos. Scitè admodum Andreas Critius Episcopus Præmyslien: ad Ioannem Antonium Puleonem Nuncium Apostolicum in Vngaria, de Duce Creato in Prussia scribens, triplicem Ordinem cum cruce in ditione Polonica constitutum tali Epigrammate notauit.

Annal. Eccl: Tom: 12. Anno 1198. cap: 2.

Tres constant cruces, trino tinctæq; colore.
Has vesti impressas, trinus & ordo gerit.
Est rubea, hæc rectè Domini censetur Iesu,
Sanguine quæ illius facta cruenta fuit.
Est alba, & rectè hæc Latroni congrua dextro,
Mundarunt cuius paucula verba nefas.
Nigra est postremo leui Latronis & ista,
Quam rectè illius, non minus ordo probat.

Historia Eccl: Buchingeri f. 279.

Floruisse autem iisdem penè temporibus in Hispania sacros similiter ordines militares, videlicet S. Iacobi, & Calatrauæ docet Baronius. Iacobus etiam Rex Aragonum, duos Sacræ militiæ ordines, circiter annum salutis 1212. instituisse fertur; quorum alterum D. Mariæ de redemptione captiuorum siue de mercede appellauit, vt pote quibus de captiuis redimendis cura esset. Hi amictum album, cum nigra cruce induunt; alterum Montesiæ milites, cruce rubenti insignes nuncupauit, vtramq; autem militiã Gregorius 9. sua authoritate probauit; vide Aubertũ Miręum de origine Equestrium Ordinum. Idcirco autem Institutiones militarium ordinũ, hic obiter recensere operæpretium duximus, quod nuper scriptum quoddam apparuerit, vbi parum æquus æstimator, & vt prouerbio dici solet, Foris linx domi talpa, antiquum ordinem Canonicorum Sepulchri Domini, quasi sibi de illo non constaret, vel nullibi vnquam constiterit, suppresso titulo, & alieno spolio seipsum ornans, sub Militari eum, non determinata etiam Militaris ordinis specie, ponere atque adeò confundere non est veritus; proinde vt pronum sit ventosum scriptum refellere, facilè quisque animaduertet, habita ordinum Militarium institutionis ratione, quam vanum sit istius hominis commentum. Sciat autem non abhorrere Canonicos S. Sepulchri à sacris militaribus ordinibus, quorum vetustissima primordia (teste Basilio Serenio) non à quopiam alio, præterquam ab ipsis Religiosis Hierosolymita-

Christ: Lõgie præf. ad Lect. Anno 1617. edita.

Basil: Seren. assertione pro Regul. S. Aug: f. 50. & sequenti.

nis

nis Clericis, profecta memorentur, diuq; sub communicatione cum Regulæ, tum ordinis Canonici, degisse probentur. Sed prosequendo nostrum institutum tempore Vilhelmi Patriarchæ, Balduinus tertius Rex Hierosolymorum cognomento de Burgo, consanguineus B. Godefridi, anno regiminis sui decimo tertio, Christi vero 1131 prout scribit Tyrius, accitis filia primogenita Milisenda & marito eius Fulcone Andegauensium Comite, pueroque illorum nepote suo Balduino iam bimulo, coram Patriarcha & Baronibus, se Regali exuens dignitate, genero Fulconi filiæque, sceptrum Regni concessit, ipse verò relicto propter Deum Imperio, Ordinem Canonicorum S. Sepulchri, cuius profitendi à multo tempore summo desiderio flagrabat, ingressus est. Quorum religiosam vitam professus, & illorum habitu indutus, tumultuario Regali officio, illum præponebat, tandem ad metam properando, Beatorum consortio est sociatus in cælis: de quo multa apud Tyrium inuenies. Postmodum etiam Vuilhelmus Patriarcha, exactis in sede Hierosolymitana annis quindecim, graui morbo correptus è vita migrauit 5 Calendas Octobr. Anno Dñi 1145. cui persolutis iustis, Fulcherium Tyri Archiepiscopum ex ordine Canonicorum S. Sepulchri professum natione Aquitanicum, in ordine Patriarcharum septimum concordi voce Fratres elegerunt. In Tyrensi vero Cathedram, Petrum Hispanum Dominici Sepulchri Priorem suffectum fuisse narrat Tyrius. Per id

Balduinus 3 Rex Hierosolymit. fit Canonic. S. Sepulchri. Annus Christi, 1131.

Vuilhelm. Tyrius l. 13.

Annus Christi, 1145.

7 Patriarcha Hierosoly. Fulcherius.

temporis

Vilhel: Tyrius lib: 8. cap: 19. & sequentib.

temporis circa Epiphaniarum diem, Ecclesia Dominici Sepulchri cum Delubro montis Syon, horrendo ictu perculsa a Scriptoribus illius æui perhibetur. Cometem præterea multis diebus arsisse, aliaque inusitata signa futuri mali prænuntia, in nubibus apparuisse dicuntur. Interim Fulcherius Patriarcha sedis suæ Anno 11. sanctissimis Sacramentis ritè expiatus, cum optima æternæ salutis spe, cessit è vita 12 Calend: Decembr. Anno 1155. Postquem, munus Patriarchale Almerico, Ecclesiæ Dominici Sepulchri Priori, genere Gallo ex oppido Neellà Episcopatus Nouionensis, vnanimi consensu Fratrum demandatum est anno eodem; Quem virum commodè literatum, & vitę integerrimæ scribit Tyrius, fuitque is in ordine Patriarcharum à recuperatis Hierosolymis octauus. Cuius temporibus Iaxa nobilis Polonus, de domo & Familia Griphium, vir & antiquissimæ familiæ splendore (quemadmodum Dlugosus scribit) & bonorum temporalium affluentia longè clarissimus, qui multis & Illustribus ex gente Polonorũ itineris sui acceptis comitibus voto piè suscepto, ad Gloriam Dei & Catholicę fidei propagationem, in Palestinam profectus est, ibidemque aliquot annis in bello Asiatico egregiam operam nauasse, à Scriptoribus Polonicis memoratur. Qui inde rediens vnum de Canonicis Almi Collegij Sepulchri Domini secum in Poloniam deduxit; & in paterno solo collocatum, bonorum suorum ad perpetuam memoriam Sepulchri Domini, eiusque sa-

Obitus Fulcherij Patriarchæ Hierosolymitani.

Annus Christi, 1155.

8 Patriarcha Hierosolymitanus Almericus.

Expeditio Iaxæ equitis Poloni in terram sanctam.

cri collegij, hæredem fecit. De cuius propagine, fau-
stisque per regnum Sarmatiæ incrementis, Deo adiuuante, tertio libro tractare proposuimus.

CAPVT NONVM.

Ecclesiæ SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani succincta descriptio, eiusq; Encomia.

EXplicatis hoc secundo libro, Canonicorum Hierosolymitanorum ad Ecclesiam sancti Sepulchri nouæ institutionis rationibus, nō absre me facturum existimo, si coronidis vice libri huius, sacratissimæ Ecclesiæ, à magnis & vitæ sanctitate clarissimis viris, iam pridem de ea celebrata encomia, quasi in fasciculum collecta, piorum lectorum oculis subiecero. Ac verò imprimis Doctoris meliflui D. Bernardi, venerandam authoritatem hac de re in medium proferri lubet. Is namque præclarum de hac ipsa Ecclesia ad Milites Templi sermonem instituens, tali ad eos potissimum vtitur Ἀποστροφῇ. *Inter sancta ac desiderabilia loca, Sepulchrum Christi tenet quodammodo principatum, & deuotionis plus nescio quid sentitur vbi mortuus requieuit, quàm vbi viuens conuersatus est, atque amplius mouet ad pietatem, mortis quàm vitæ recordatio, puto quod illa austerior, hæc dulcior videatur: magis quippe infirmi-*

D. Bernar. serm: ad Milites templi. c. 11. f. 836.

tuti blanditur humanæ quies dormitionis quàm labor conuersationis, mortis securitas quàm vitæ rectitudo. Vita Christi viuendi mihi regula extitit, mors à morte redemptio, illa vitam instruxit, mortem ista destruxit: vita quidem laboriosa, sed mors pretiosa, vtraque verò admodum necessaria, &c. Et inferius: *siue itaq; hæc, siue alia quæcunq; in hunc modum,* (prout in talibus in suo quisq; abūdat sensu) *ex occasione sepulchri Christianis sensibus suggerantur, puto quod non mediocris dulcedo deuotionis infundatur cominus intuenti, nec parum proficitur, cernendo etiam corporalibus oculis corporalem locū Dominicæ quietis: & si quippe iam vacuum sacris membris, plenum tamen nostris & iucundis admodum sacramentis.* Et paulò inferius: *Quam dulce est peregrinis post multam itineris fatigationem, post plurima terræ marisq́; pericula ibi tandem quiescere, vbi & cognoscitur suum Dominum quieuisse; puto iam præ gaudio non sentiunt vitæ laborē, nec grauamen reputant expensarum: sed tanquā laboris premiū, cursusq́; brauiū assecuti, iuxta scripturæ sententiā, gaudent vehementer cùm inuenerint sepulchrū.* Hæc S. Bernardus. Haud dissimilibus verbis D. Iacobus de Viatriaco S. R. E. Cardinalis idipsum recen-

Iacobus de Vitriaco Histor. Hierosolymitana abbreui: c. 61. f. 1079.

set,

ſet, cum ait: *Dominicæ reſurrectionis Eccleſia glorioſa, inter ſancta & venerabilia loca non immerito obtinet principatū; nam in hac corpus Domini pretioſum, cum aromatibus honorificè ſepultum vſque in diem tertium requieuit, die autem tertia reſurrexit. In quo loco S. Angeli mulieribus apparuerunt, milites autem Sepulchrum cuſtodientes, veluti mortui effecti ſunt. In quo etiam loco in nocte Dominicæ reſurrectionis ignis ſacer deſcendit de ſupernis. Cum autem per vniuerſum mundum à fidelibus dicatur, Surrexit Dominus de ſepulchro, qui pro nobis pepēdit in ligno, ſoli Canonici Eccleſiæ reſurrectionis Dominicæ, ſpeciali gaudent prærogatiua, dicentes, & ad oculum demonſtrationem facientes; Surrexit Dominus de hoc ſepul. hro. Is autem,* pergit idem autor, *qui dicitur Caluariæ locus, Hebraicè autē Golgota, Eccleſiæ Dominici ſepulchri vicinus,* (nam eadem Eccleſia ſub vno & eodem tecto Reſurrectionis & Crucifixionis locum in ſe comprehendit) *inter loca ſancta magnam obtinet dignitatem, & maximam ob memoriam Dominicæ paſſionis, habet compunctionis virtutem. In quo Dominus paſſus eſt pro ſalute noſtra, veſtimentis exutus, in Cruce leuatus, clauis affixus, felle & aceto potatus, à Iudæis irriſus, inter*

iniquos deputatus, morte ignominiosa cōdemnatus, pro transgressoribus orauit, Matrem suam discipulo commendauit, latroni salutem promisit, cum clamore & lachrymis spiritum emisit, ex latere perforato sanguinem & aquam quibus mundum ablueret produxit. In quo loco vestimenta eius diuiserunt, & super tunicam eius sortem miserunt, terra mota est, & petræ scissæ sunt, sanguis eius in terram cecidit, sol obscuratus radios suos subtraxit. His omnibus dum locus sacer à deuotis peregrinis frequentatur, cor contritum & humiliatum compungitur, & quasi torculari passionis, lachrimæ compassionis exprimūtur. Ita Vitriacus. Qui paucissimis quidē verbis, rem certè satis perse magnam expressit, quantopere Sacrosancta hæc loca, Christi præsertim sanguine, & passione, ac Resurrectione illustrata, homini pio & Christiano, interiores animi sensus moueant, qua mentis cōpunctione afficiant, quem deniq; mundanarū rerum contemptū, vitiorum detestationem, & odium pariant atq; ad diuinum amorē rapiant, vires sibi non suppetere ad explicandū fatentur, si qui illa adire dono cælestis gratiæ concessum sibi agnoscunt. Porrò hoc vno ore fatentur omnes, neminem esse tam ferum ac ferreum, neminem tot tantisq; flagitijs ac sceleribus coopertum, qui non in ipso Sacrosancti delubri ingressu, præsenti numinis cælestis religione perfusus, molliri

suum

suum sentiant pectus. Sensit hoc Paula nobilissima Romana matrona, D. Hieronymo attestante, quæ loca illa sacra, tanto ardore ac studio circumeundo venerata fertur, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis abduci non posset, prostrataque ante crucē, quasi pendentem Dominum cerneret adorabat. Senserunt idem & adhuc sentiunt, plurimi veræ deuotioni vocantes peregrini, qui inter cætera nostræ salutis monumenta, rupem Domini sepultura clarificatam, eiusque pretioso sanguine purpuratam accedentes, & in contemplatione Redemptionis humanæ defixi, atque in admirationem vestigij tam insignis Dominicæ mortis rapti, diuinum aliquid sæpius patiuntur. Nec mirum, cum etenim eo in loco se esse quis consideret, quo omnium Dominus, Deus & Homo, totius mundi saluator, ac animarum Redemptor, proprium effundere sanguinem; tot pati opprobria, tot affligi pænis, à planta pedis ad verticem vsque capitis flagris cedi non dedignatus est, quinimo Crucis subire tormentum ac mortem oppetere turpissimam sponte voluit, vt nos à peccato in suo sanguine lauaret, è faucibus diaboli eriperet, patri reconciliaret, vitamque æternam omnibus promereretur. Qui fieri (inquam) possit, adeo ingratum aliquem esse ac saxeum cor habere, vt præsertim cum se harum omniū pænarum causam esse meditetur, dolore non diffluat, & ex pauescat totus? Quis à planctu, à suspiriis abstineat vel quis commiserei saltim ac compati passioni Christi lubens nolit?

Hieronim: in Epiph: Paulæ ad Eust: Epist. 2 Tom: 2.

Diuina sanè vis, humanos animos, ad hoc ipsum videtur compellere. Ipsę etiam aspersæ Christi sanguine columnæ marmoreæ, Crucis fouea, eius quoque pretioso sanguine purpurata, locus Crucifixionis, vnctionis petra, ac ipsum denique sanctissimum Sepulchrum, quasi recentia Crucis & Passionis Domini vestigia, occulta quadam vi compellunt & exigunt, vt quisquis accedat, etiamsi ferreus, & adamantinus sit, irrigetur lachrymis, atque imò pectore profunda trahat suspiria, adeoque se totum Christo deuouens abneget semetipsum, & abiectis vitiis & mundi sordibus, nudus sequi Christum malit, proq; eius nomine grauissima pati, quã mundi deliciis diffluere. Ita sæpè peregrini, illam Sacratissimam Ecclesiam accedentes & mente cælestia conscendentes, pro lapideis cordibus, quæ profunda peccatorum cogitatio mouere non poterat, in hoc loco carnea statim consequuntur, & amore sui Redemptoris ita emolliuntur ac liquescunt, vt admirabili Christi morientis & resurgentis spectaculo præsentes adesse videantur. Recenset huius rei admirabile exemplum Thomas Cantipratensis; Quendã ex his assumpta pia peregrinatione ad loca sancta Hierosolymis consistentia, cum omnia fere loca vestigijs Redemptoris orbis calcata, multa cum deuotione & lachrymis lustrasset, tandem ad montem Caluariæ veniens, & locum, in quo Saluator noster crucis supplicium & mortem passus, diligentius contemplatus fuisset, in lachrymas solutus. Quid tibi, ait,

Thomas Cãtiprat: l. 1. cap: 25. Annal: Eccles: To: 13. Anno 1216. fol: 253. Exemplum amoris in Christũ admirabile ex contemplatione SS.

bi, ait, benignißime Domine, quid tibi Christe retribuam pro omnibus, quæ pius amator amabilis mihi misero mirabiliter retribuisti, vidi prius loca, in quibus natus & inter homines conuersatus, doctrinam Euangelicam prædicasti & diuinitatis tuæ indicia, per miracula demonstrasti. Hæc quidem propter amorē & reuerentiam tui syncero corde complexus sum, hunc vere paßionis & mortis locum, æquo animo videre non posum, vbi cruci suffigi, lancea terebrari, & animam pro nobis tradere voluisti. Hæc vt Beatus ille perorauit, tanto spiritus feruore correptum fuisse, vt humi, prostratus, inter oscula, singultus, & lachrymas vberrimè perfusas, exclamans, ruptis vitalibus cordis venis, expirauit. Felix planè & Beatus, cui tantum beneficium diuinitus obtigit, vt morientis & sepulti Christi memoriam fælicißimo vitæ perennis introitu subsequi meruerit. Hanc verò Basilicam B. Helena Augusta, Pii Cōstantini pia mater, diuina admonitione conquirendæ Dominicæ Crucis, & sanctißimi Monumenti studio, iam ferme octogenaria, Hierosolymam profecta, & voti sui compos facta, Anno post Christū natū 326. pium desiderium suum Constantino Magno filio suo in omnibus promouente, extruxisse perhibetur, totius orbis Ecclesias amplitudine, atque pulchritudine longè superantem. Nam auratis corrusca laquearibus, & aureis diues altaribus, marmoreis septuaginta tribus columnis suffulta, ab Adrichomio traditur. Præterea in hac omnes ex Christianis Hierosoly-

Adrichom: theatr: terre S. in descript Hierusalē f. 176.

rosolymorum Reges, dignam corporibus suis sepulturam elegerunt, in qua non minori cultu, quam B. Helena Magni Constantini mater, suæ ibidem magnificentiæ signa reliquerunt. Siue ergo inuentionis Dominici Sepulchri primordia spectes, quando sub Augusta Helena augusto templo est inclusum, siue posteriora eius tempora, cum Christianorum Regum sumptibus ditissime est dotatum, eorumque monumentis nobilitatum, semper illud Isaiæ vaticinium locum habuisse scias. In illa die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.
Isaiæ 11. *Et erit Sepulchrum eius gloriosum.* Quod neque nunc quidem veritate caret, cum inter barbaras illas gentes diuersissimarum nationum Christiani nominis Monachi & Presbyteri, qui suorum ibi eleemosynis aluntur ac viuunt, Diuina sacrificia, suis quisque ritibus, ceremoniis, & linguis, in distinctis sacellis & locis peragunt, precibus incumbunt, vnoque ore omnes, vnũ Christum omnium Saluatorem venerantur, atq; adorant, quotidie etiã sanctissimum Christi Sepulchrum, & Caluariæ montis, seu crucis foueam thure adolent, ac lampadum suarum singulatim curam habent. Illud autem mirandum in hoc templo, tot diuersorum hominum ex vniuerso penè orbe confluentium, audire dissonas voces, melodias, ceremonias, habitus, moresque, qui licet in multis differant, varijsque inter se ritibus sint diuisi, in hoc tamen vno concordant, quod Christum Deum laudant, credunt, ac confitentur. Nec

minori

minori admiratione dignum, omnes hasce nationes, inter medios Christiani nominis hostes, ac Saluatoris Christi eiusque Crucis sanctissimæ inimicos acerrimos, Iudæos dico ac Machometæos, Christum ipsum magnificare, diuinam eius virtutem prædicare, quotidianum ipsi sacrificium publicè offerre, ac Deum verum confiteri, (quibus omnibus ipsi vel maximè aduersantur) nemine tamen inueniri, qui contradicere, quiue vetare aut tollere, atque abolere ea vllo modo audeat. Et quod magis mireris, licet Turcæ Maurique Christum nequaquam mortuum, sed in cælos assumptum prædicent, ac certo certiùs credant, quippe quem immortalem fuisse affirmare non dubitent: Nihilominus tamen sepulchrum eius, mortis & mortalitatis indubitatum testimonium, in vrbe hac, quam omnes Machometæi religionis ergo frequentant, à tot iam sæculis intactum reliquerunt, atq; etiam nunc relinquunt, neque enim hactenus quisquam repertus legitur, qui illius euersionem vnquã tentauerit, quod diuini sane numinis nutu fieri censendum est. Atque hæc in laudem & gloriam Dominici Sepulchri & Ecclesiæ eius, quæ apud alios fusissime tractata inuenies, à nobis breui compendio absoluta, grato animo accipe, hincque illud documentum imò pectore repositum tene. Si viri Christiani, ex sola visitatione sacratissimi Saluatoris nostri monumenti, tantam vt audisti accipiunt ac reportant animi sui dulcedinem, & salutem; Quid de Maioribus nostris Canonicis Hiero-

ſolymitanis cenſes? quanta illi mentis lætitia, in Eccleſia S. Sepulchri Ordini noſtro perpetuo hæreditaria, cui hoc futuræ immortalitatis noſtræ pignus, glorioſę videlicet Reſurrectionis ſuæ Sepulchrum Dominus reliquerat, Diuinis officiis iugiter inſiſtebant, Paſsionem Dominicam, & victorioſiſsimę Crucis trophæum (prout Bulla Cæleſtini Papæ II. ſuperius à nobis recenſita, clare eloquitur) aſsiduè oculata fide recolentes, & in loco vbi ſteterunt pedes Domini adorantes, ac ibidem, vbi Redemptor mundi, pro ſalute noſtra vincula, flagella, crucis ignominiam, vulnera, mortemque ſuſtinuit, regulariter militātes. Quid, inquam, cum prædeceſſores noſtri in Paleſtina, vbi verus De9 & homo Chriſtus Ieſus ſalutem noſtram operatus eſt, pijs Chriſtianis ductores exiſtentes, loca ſacra, viua voce, & manu demonſtrantes. Hic, (inquit,) æterni Patris Verbum Chriſtus Dominus de Virgine carnem aſſumens natus eſt, hic in præſepio reclinatus, hic à Magis adoratus, hic baptiſatus, hic miracula patrauit, hic docuit, hic captus, hic illuſus, hic flagellatus, hic crucifixus, hic ſepultus, hic tertia die deuicta morte ſurrexit, hinc in cælum aſcendit: quanta putas, hæc apud te expendens, interna delectationis ſuauitate replebantur, quos gemitus? quæ ſuſpiria? quas lachrymas, acceptæ ſalutis ac tantorum beneficiorum memores Saluatori ſuo non reddebant? Et hæc quidem maiorum noſtrorum laus, quam nos illorum genuina ſoboles, pene intermor-

tuam,

tuam, in nobis & ex nobis ad gloriam imprimis Dei, Chriſtiani populi profectum, excitare non deſinamus. Vtinam aliquando, ex immenſa Dei prouidentia, Religioſi cuiuſdam annuente voto, illa ab omnibus optata adfulgeat dies, quando Chriſtiani pulſis procul barbaris, terræ ſanctæ imperium obtineant, videantq́; iterum Canonicos Eccleſię Reſurrectionis Dominicæ, ſpeciali prærogatiua canentes & demonſtrantes, *Surrexit Dominus de hoc Sepulchro.*

Philippus Boſcherus Franciſcus Philip: 2da fol. 37.

ANNVE MAGNE DEVS.

DE SACRA ANTIQVITATE ET STATV ORDINIS CANONICI CVSTOdum Sacroſancti Sepulchri Domini Hieroſolymitani.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Ordinis Canonicorum Sacroſancti Sepulchri Hieroſolymitani in Regno Poloniæ prima initia, ex Ioanne Dlugoſſo, aliisq́ fide dignis ſcriptoribus Polonicis recenſentur.

ENarratis veteribus, partim per Orientem, partim per alias Chriſtiani orbis Prouincias, almi Canonicorũ Sepulchri Domini Ordinis initiis atque progreſsibus, ad recentiores in Regno Poloniæ viciniſque Prouincijs, dicti Ordinis conſtitutas colonias, ſtylum conuertimꝰ, potiſsimum verò de Miechouien: Monaſterij; ſicut in Regno Poloniæ antiquioris, ita & principalioris origine ac fundatione, Ioannis Dlugoſsi irrefragabilis authoritas, quem rerum Polonicarũ ſcriptorem

syncerissimum, veritatis amantissimum, & cæteris sicut antiquitate ita & veritate præstantem, grauissimus Ecclesiasticę historiæ compilator: Baronius S. E. R. Cardinalis appellat, in medium producenda occurrit: cuius hæc verba habentur.

Anno Domini, 1162. Magno in Deum & meritum passionis Iesu Christi, miles nobilis Iaxa de Miechow armiger Diœcesis Cracouien: actus ardore, vir pro ea tempestate magnarum possessionum, atq; opum abundantia insignis, in subsidium terræ sanctæ, personaliter cum familiaribus atque armigeris suis profectus, aliquanto tempore illic moram gessit, & enixius quo poterat pro terræ sanctæ defensione cum suis militauit. In Poloniam verò reuersurus, inter alia deuotionis suæ insignia, apud Patriarcham sacri Sepulchri Hierosolymitani, & eius conuentum, sub S. Augustini regula Deo militantem, bifurcatam crucem rubeam deferentem obtinuit, vt secum vnus ex Canonicis suis, in Poloniam Ordinem prædictum plantaturus mitteretur. Tres itaq; Villas p[illegible]rimonij, sui videlicet Miechow, Zagorzyce, & Komorow, in dotem ordini præfato conferens, in Villa principali Miechow, quam nunc in Ciuitatem frequentia populorum & redituum

Ioannes Dlugosus histo: Pol: lib: 5: fol: 450. Annus Christi, 1162.

creuisse videmus, Ecclesiam & primum Cænobium de speciali consensu & voluntate Matthæi Cracouien. Episcopi constituit. His quoque non contentus, aliud Monasterium in Villa sua Zwierzyniec prope Cracouiam sita, pro Virginibus Præmonstraten: Ordinis religionem profiteri volentibus, aliquot Villis etiam illud dotans, erexit. Et ne temporis processu dotatio sua, duobus locis prædictis facta, à suis propinquis & cognatis posset labefactari aut infringi, suppliciter illam petijt à Boleslao Crispo Polonorũ Duce & Monarcha confirmari. Cuius præstantissimis precibus Dux Boleslaus permotus, & operi sancto confirmationem præstitit, & bona vtriusq; Monasterij per Iaxam collata, à Ducalibus seruitiis, oneribus, & tributis liberauit. Statuit siquidem vt homines villarum huiusmodi ad expeditionem contra hostes non eant, castra non ædificent, Porádlne & Strożne non soluant, Monetario non obediant, Powoz & Poduodas dare non stringantur. Ea quidem duo Monasteria tunc per virum insignem Iaxam in aliquibus villis fundata, post vero Ducum, Episcoporum, nobiliumq; reditibus amplificata, atque impinguata sunt. Hæc Długossus de prima Canonicorum Sepulchri Domini & Monialium Ordinis Præ-

monstra-

monstraten: in Regno Poloniæ fundatione, satis clarê demõstrauit. Cuius authoritatem in omnibus sequi videtur Martinus Cromerus rerum Polonicarũ scriptor celebris, omnibꝰ non ignotus. Qui cum Henrico Sendomirien: Duce, fratre Boleslai Crispi Ducis Cracouien: germano, ad Hierosolymitanam militiam narrat profectum fuisse Iaxam nobilem ac locupletem equitem, de familia Gryphium, qui cum in Asia aliquandiu militasset, reuertens, vnũ de Canonicis Sepulchri Christi Dñi nostri D. Augustini instituto viuentibus, & geminam crucem rubram in toga insigne Professionis suæ gestantibus, secum deduxisse, eamque sodalitatem in Polonia propagauisse recenset, condito templo ac domicilio in pago suo Miechovv, quod nunc oppidum est, quinto à Cracouia miliario, eoque & duobus item pagis sodalitati attributo: Cui etiam (inquit) Gedeon Episcopus Cracouiensis decimas quasdam posterius adiunxit. Condidit idem Iaxa dotauitque etiam Monasterium Virginibus professionis Præmonstratensis vt vocant, in suburbano suo Cracouiẽ: quod Zuerinecium, quasi tu dicas viuarium, dicitur. Impetrauit autem vtrique loco subiectis hominibus à Boleslao Crispo Principe, omnium onerum, munerum, atque pensionum, quæ ad Principem ac Rempublicam pertinerent, sempiternam immunitatem. Ita Cromerus.

Cromerus de rebus gestis polonorum lib: 6.

Quibus Matthias de Miechovv. Canonicus Cracou: & Medicinę Doctor, nõ dissimilia scribit. Sic enim ait:

Matth: Mie: in histo. Pol. lib: 3. c. 21.

Anno

Anno Domini, 1162. Iaxa de domo Gryphonum, fundauit Conuentum in villa sua Miechow, Canonicorum Regularium Ordinis sacri Sepulchri Dominici Hierosolymitani, sub Regula S. Augustini militantium, geminam crucem rubram è regione cordis supra vestem gestantium, &c. Syntagmata quoque in membranis manu antiqua exaratis, quæ in Conuentu Miechouiensi extant, idipsum asserere videntur. Narrant enim Iaxam Hierosolymam venisse Anno Domini 1162. biennio verò post, virtutis suę non vulgaribus argumentis editis, strenue aduersus Saracenos decertando, in Poloniam redijsse, & vnum de Collegio Canonicorum sancti Sepulchri, Martinum nomine (quod etiam Długossus in libro de Monasterijs per Diæcesim Cracouien: constitutis à se elaborato indicat) veluti sempiternum pignus suæ erga Dominicum Sepulchrum deuotionis, adduxisse affirmant Anno Domini 1165. Cui à Principibus regni, satrapis, clero, & populo Polonico, plurimus honos exhibitus esse perhibetur. Vnde ex annorum supputatione colligitur, Hierosolymis tum Patriarchali sedi præfuisse Almericum nomine, non verò Monachum in cuius allegatione Scriptores Polonici alias deuiasse noscuntur, idque intuitu cuiusdam Diplomatis, posteriori iam tempore à dicto Monacho Patriarcha Hierosolymitano pro Conuentu Miechouiensi confecti, quod inferius à nobis producetur. Videre autem li-

cet in isto laudatissimo heroë, cum multas magno in Repub: viro dignas dotes, quas pro salute ac libertate patriæ, vt testantur annales Polonorum, multoties exhibuit, tum præcipuè ardentem in Christum Dominum, eiusque gloriosum Sepulchrum amorem, vndè etiamnum meritorum eius, veneratione digna vestigia elucent, cum per tot Myriadas annorum, suæ liberalitatis in personas Deo deuotas ac dicatas, multosque egenos, vberrimi fontes scaturiant: vt quilibet non obscurè iudicare possit, eum talem Christianæ profectionis scopum attigisse, qui pias peregrinationes obeuntibus propositus esse solet. Nam ad propria fæliciter reuersus, duo in hoc regno celeberrima Monasteria, Miechouiense cum Zuerzynecensi, ab ipso excitata, rebusque omnibus ad necessitatem & conuenientem splendorem instructa, cum deuota ac dulci ipsius Fundatoris recordatione spectare licet. Sic ille in schola Christi pie à maioribus instructus, momentanea hæc & caduca, in via mundanæ huius peregrinationis, spargere & seminare didicit, vt suo tempore cælestia & æterna metere valeat.

Constat verò ea tempestate, qua Iaxa eximius nationis Polonicæ eques, militiæ Asiaticæ nomen dederat, non modicè tum fuisse arctatum Regnum Hierosolymitanum: Noradinus siquidem Sultanus Ægypti (teste Tyrio) contra Christianos numerosa instructa classe, illos de terra sancta penitùs exterminare apud se proposuerat. Proinde Patriarcha cum venera- Vuilhelmus Tyrius l. 20. cap: 13.

bili Collegio suorum Canonicorum, in magna trepidatione tùm constitutus, se illosque saluare volens, in diuersa Christianorum regna, prouidendo eis loca in quibus tuto Ordo conseruaretur, submittere legitur. Quod vel ex infra positis literis, in historia regni Hierosolymitani inter Regum & Principum Epistolas nuper a me repertis, facilè quisque agnoscet, quas veluti antiquitatis singulare monumentum in comprobationem rei assertæ, hoc loco inserere operæpretium existimauimus.

CAPVT SECVNDVM.

Almericus Patriarcha Hierosolymitanus, Canonicum S. Sepulchri Galliarum Regi commendat: idem breui post moritur, huic Heraclius succedit, cuius temporibus Christiani iterum Hierosolymam amittunt & nonnulla illius æui gesta breuiter perstringuntur.

Gesta Dei per Francos de Regum & principũ Epistolis. Epistola 19. fol: 1181.

INVICTISSIMO DEI GRATIA LVdouico Francorum pijssimo Regi, Almericus eadem gratia sanctæ Dominicæ Resurrectionis Ecclesiæ Patriarcha, vna cum Priore & vniuerso Canonicorum inibi Deo famulantium Conuentu, salutem & debitas orationes in Christo.

Piæ Celsitudinis Vestræ bonitas & mansuetudo, fama loquente, vt experti sumus, nobis veraciter

innotuit, quod in causa seruorum Dei, studiosè concurrat, & Religiosis viris, sinceritatis suæ solatia subministret. Imprimis igitur liberalitati vestræ immensas gratiarum actiones persoluimus, quia sicut multorum relatione suscepimus, res Dominici Sepulchri, cuius serui sumus, licet indigni, amoris respectu Diuini, vbiq; quantum potestis augere non desistitis. In his ergo quæ ad Deum sunt, ante sacrosancta loca Passionis & Resurrectionis Dominicæ, iugiter pro vobis existentes, Fraternitatis nostræ ac beneficiorum nostrorum vos consortem statuentes, dilectum Fratrem ac Canonicum nostrum, S. latorem præsentium, benignitati Vestræ propensius commendamus; humiliter rogando, quatenus ei ob reuerentiam gloriosissimi Sepulchri, in quibus indiguerit, auxilium vestrum largiri dignemini, & tam eum, quam res sibi commissas, suo vestra sublimitas fauore manu tenere dignetur. Insuper, vestræ probitatis excellentiam, obnixe deprecamur, quatenus prædicto S. Canonico hospitale quoddam, vel almum quemlibet locum, sub protectione alarum vestrarum, vbi ad honorem Dominicæ resurrectionis refugium habere possimus, pro salute ani-

mæ vestræ, omniumq́ nobilium parentum vestrorum, concedere dignemini. Valeat tantus Rex fortißimus.

Quo loco singularem Dei prouidentiam mirari conuenit, quæ cuncta suauiter disponit, vt quoties sacræ Religiosorum familię, exigentibus id peccatis hominum, in aliquibus locis deficere cæperint, eas plerunque in alia transferri & conseruare consueuit. Nouit nempè Diuina maiestas, quæ in sua manu omnium conclusit tempora & momenta, tempus & modum sui honoris vbique gentium propagandi, quod cùm in alijs plerisque, tùm in hoc nobilissimo Ordine spectare licet: nam cum in oriente deficere, tum demum in occiduo orbe proficere, & incrementa sumere cæpit. Posthæc Almericus alias Almaricus Patriarcha Hierosolymitanus, vir, vt de illo refert Tyrius, pijssimus & immortalis gloriæ, exactis in Cathedra Hierosolymitana annis 35. onere carnis deposito cælo intulit animam pridie nonas Octobris. Cui Heraclius Cæsariensis Episcopus, sacri Collegij Sepulchri Dominici professus, intra dies decem subrogatus à Tyrio traditur, Anno Dñi, 1180. fuitque is in ordine Patriarcharum Hierosolymitanorum nonus. Cuius temporibus, terra sancta extrema clade affecta esse comperitur, nam ob ciuilia dissidia Principũ Christianorum, Salahadinus Sultanus Ægypti, multis iam antea ereptis & in seruitutem redactis in oriente Christianorũ

Obitus Almeric. Patr. Hierosolymitani. Tyrius l. 22. c. 4. f. 1019. 9 Patriarcha Hierosolymit. Heraclius.

Annus Christi, 1180.

ditionibus, ipsas denique Hierosolymas suæ potestati subiecit, Anno Domini 1187. videlicet Octuagesimo octauo anno, ex quo Regnum Hierosolymitanum cæperat esse penes Latinos. Patriarcha Heraclius ex pacto, cum clero incolumis abire permissus, Alexandriam diuertisse fertur: alij alia sibi prout quisque potuit, in tanta præsertim rei & temporis angustia, quæsiuere hospitia & receptacula. Nã Prior Sepulchri Dominici cũ nonnullis Canonicis (quẽadmodum aperte docent literę Iacobi de Mãsuetis, Episcopi Narniẽ: & pro eo tempore Prioris Generalis Ordinis nostri) in Regnum Neapolitanum nauigio deuenisse, & primo Ciuitati Baruli, in qua Ordinis nostri celebris iam tum extabat Ecclesia, applicuisse, ibidemque omnia priuilegia & indulta sacri Ordinis adicto Priore & Canonicis S. Sepulchri, deposita fuisse perhibentur. Porrò occupata à Saracenis Vrbe sancta, inter alia plurima sacris locis illata mala, protinus campanas deponere, illasq; malleis perfringi & in prophanos vsus diffundi, atque in Deo dicatis Ecclesijs, iumenta collocari iussisse Salahadinum Nauclerus recenset. At Ecclesiam S. Sepulchri, ne gentilium sordibus contaminaretur, Surianos cum Armenis & Græcis, multo auro redemisse, & ex eo tempore circa dictam Ecclesiam continuo mansisse, atque tributo persoluto vitã suam ægre admodum tutasse, narrat idem author. Posteriori demum sæculo Anno videl. 1336. fratribus Franciscanis qui ibi octo tantum eatenus de consensu Sum-

Hierosoly. amissæ Anno Christi, 1187.

Extant autentice in Cartophilacio Conuen: Miechouiẽ. de data Narniæ 20 Maii. Anno, 1437.

Ioã: Naucl. Chron: volumi. 2do generat: 40. fol: 865.

mi Pontificis commorantur, peculiaris cura & custodia Sepulchri Christi à Sultano Ægyptio, prout notat Genebrardus & alii, demandata fuit. Ita sanctum viuificumque Christi Sepulchrum, vt disserte innuit Boskhierus, pulsis procul strenuis custodibus, positum est in pomorum custodiam, id est ad rusticanas & viles casas reuocatum. Licet verò Salahadinus ex pacto Vrbe sancta recepta, spopondisset saluos & indemnes conseruare Christianos, dedissetque potestatem abeuntibus, quod sibi efferre liceret, quantum quisq; humeris portare valeret: non tamen ea vsque fide fuit, vt parceret afflictis, plurimos enim Clericos, & ex ordine militari Hospitalarios aut Templarios captos, & sibi præsentatos, absque vllo humanitatis respectu, vario mortis genere excruciari, & occidere iusisse eum narrat Nauclerus. Hic est ille Salahadinus, qui moriturus iusserat interiorē tunicam lineam suspendi de hasta & deferri ante funus, præconemque clamare: *En Salahadinus Asiæ domitor, ex tanto Regno, tantisq; opibus, nihil aliud secum fert.* Interim Heraclius Patriarcha, ingenti mærore ex tam funesta ac miserabili clade confectus, cernens se omni auxilio destitutum, depositis clauibus vrbis & sacri Sepulchri apud Philippum Galliarum Regem, animi dolore contabuisse & in humanis desijsse legitur. Quo vita functo, superstites Canonici sancti Sepulchri, facto mutuò conuentu & tractatu, Cæsariensem Archiepisopum Monachum nomine, virum, vt notat Tyrius,

In orat: terræ S. Philip. 1. fol: 24. & sequen.

Naucl: loco sup: fol: 865.

Obitus Heraclij Patriarchæ Hierosolymitani.

Tyrius l. 22. cap: 10. fol: 1021.

Monachus Patriarcha

eruditione & virtute præstantem, in Patriarchã Hierosolymitanum elegerant, quamuis Græci, erepta Latinis Hierosolyma, sollicitè apud Salahadinum procurasse dicantur, idque illos facilè ab eo obtinuisse Nicetas scribit, vt penes eos ius sit, & facultas constituendi Patriarchas: nihilominus Latini non desierunt suos quoque isthic instituere & continua serie sufficere Patriarchas, sicut in Monacho post Heraclium suffecto, & alijs succesiuè canonicè electis clare perspicitur; à quibus Præpositi Miechouienses, suas institutiones longo temporis decursu obtinere solebant: quarum plurima hucusq; in archiuo dicti Conuentus, extant authentica documenta. Inter quæ non postremi momenti, antiquissimum diploma, huius, de quo in præsenti res est, Monachi Patriarchæ, per omnia integrum habetur, quo donationes omnes primitus à pijs fundatoribus pro Monasterio Miechouiensi factas, authoritate Patriarchali confirmat atque approbat, singulorum etiam benefactorum nomina exprimendo. Quod nos veluti præclarissimum antiquitatis monumentum, sequenti capite oculis legentium subiicere non prætermittemus. Interea Matthæus Episcopus Cracouiẽ: cuius temporibus sicut superius ex Długosso retulimus, Ordo Canonicorum S. Sepulchri, in Poloniam primum inductus fuit, ex hac vita migrasse comperitur. Anno videlicet 1166. cui post diuinam & humanam vocationem, vt Długosi verbis vtar, Gedeon alias Getko nobilis de domo & familia

Hierosoly: ordine 10.

Annus Christi, 1166.

Grypho-

Gryphonum, ac perinde ipsius Iaxæ fundatoris consanguineus, in Episcopatum Crac: succeßit: qui maiorum suorum exempla secutus, summis quoque beneficijs Ordinem nouiter in Polonia constitutum exornauit; Nam fundationi Iaxæ decimas manipulares de speciali consensu Capituli sui, in quatuor villis Miecovv videlicet, Zagorzyce, Komorovv & Koczcha, iam tum Conuentus Miech: hæreditarijs adiecit, plurimasque alias, in diuersis pagis & locis, eidem Monasterio liberaliter attribuit. Dos ergo prima debetur Iaxæ, altera Gedeoni Episcopo, reliqua nobilium & priuatorum benignitas addidit, quorum beati spiritus, pro tam sanctis ac pijs operibus, fælici iam ac sempiterno æuo fruuntur.

CAPVT TERTIVM.

Monachi Patriarchæ Hierosolymitani, fundationis primæuæ pro Monasterio Miechouiensi factæ, confirmatio.

In Nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Monachus Dei gratia, sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ Patriarcha, & totum eiusdem Ecclesiæ Capitulum. Vniuersis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, & cæteris Ecclesiarum prælatis

latis: Ducibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, & cæteris sanctæ matris Ecclesiæ filiis, per Ducatum Poloniæ constitutis, & in posterum constituendis, ad quorum notiam scripta hæc peruenerint, salutem & Patriarchalem benedictionem.

Cum labilis sit memoria hominum, cui non suffragatur perpetuitas literarum; vniuersitati vestræ præsentibus literis innotescat. Quod cum Dominus Iaxa, vir bonæ memoriæ, Dominicum adiret Sepulchrum, & in loco vbi steterunt pedes Domini adoraret, inter alia deuotionis suæ insignia, rogauit, vt Ecclesia S. Sepulchri, vnum de Canonicis suis, secum in Poloniam mitteret: quatenus ad soluendum votum, quod fecerat, eum quibusdam hæreditatibus inuestiret. Quia cum esset vir Christianissimus, & præcipuè circa Dominicum Sepulchrum deuotus, Ecclesiam nostram suis volebat dotare patrimoniis, & apud remotas illius Prouinciæ gentes, Christi patrimonium ampliare, vt dum eius Patrimonium amplificaret in terris, æternæ Ciuitatis hæres à Christo conscriberetur in cælis. Cum ergo quendam Canonicum, secum in Poloniam perduxisset, egregij Ducis Boleslai consensu, ac voluntate omni-

moda, tres villas videlicet Miechow, Zagorzyce, & Komorowo, in perpetuam eleemosinam Canonico, & suis successoribus assignauit. Et ne aliquis successorum suorum donationes eius posset in irritum ducere, seu villas prænominatas à Hierosolymitanæ Ecclesiæ dominio reuocare, futurorum paci prouidens & quieti, prædictum Ducem Boleslaum Dominum suum, familiariter adiit, & eius confirmationem familiari precum instantia requisiuit. Dux verò præstantissimus eius preces deuotas exaudiens, villis ab eo donatis suam confirmationem adhibuit. Et talem insuper Ecclesiæ nostræ libertatem, & perpetuæ immunitatis prærogatiuam concessit, vt omnes hæreditates, quas Hierosolymitana Ecclesia ibi posset acquirere, propter Dominici Sepulchri reuerentiam, ab omnibus publicis exactionibus & seruitiis, quæ in Ducatu Poloniæ fuerint, essent penitus absolutæ. Statuit siquidem, quod homines in villis nostris habitantes, ad expeditionem non eant, castrum non ædificent, Poradlne & Strożam non dent, Monetario non obediant, Powoz & Podwodę non tribuant. Propter quod Ecclesia nostra, tam eum, quàm successores suos, orationum & beneficio-

rum,

rum, quæ apud nos fiunt, participes esse concessit. Cui cum frater eius Mesco successisset, in honore regiminis factus est particeps pietatis, dum libertatem, quam prior contulit, sequens nihilominus confirmauit. Post eum frater eius Dux Casimirus, priorum exempla secutus, donum libertatis à fratribus editum, ratum habuit, & illud suo priuilegio roborauit. Vnde factum est vt processu temporis, multi viri nobiles, eleemosynas suas Ecclesiæ nostræ conferrent, & hæreditates ac villas, Dei intuitu largirentur, quorum nomina duximus annectenda. Imprimis Dominus Getko venerabilis Cracouiensis Episcopus, pro anima sua & successorum suorum, dedit Ecclesiæ S. Sepulchri in eleemosynam decimas istarum quatuor villarũ, scilicet Miechow, Zagorzyce, Komorowo & Coczcha. Dominus Suentoslaus dedit Coczcham inferiorem. Dn̄us Comes Stephanus dedit Coczcham superiorem. Comes Nicolaus Palatinus dedit duas villas, Iacsicz & Replich. Frater Crecoha dedit villam, quæ est iuxta Meschow. Hugoldus Clericus, dedit sortem vnam, quæ erat super Locham. Vxor Gnieuomiri cum filio suo dedit Lantkowicz, Dominus Lassota dedit Lubna, Dominus

Suentoslaus gente quoq; Griphius vir potens & magnarum possessionũ insignis. Crom: lib. 6 in Boleslao Crispo.

Eccle: Miechouiẽ: hæreditates Miechovv. Zagorzyce. Komorovv. CHotlia inferior. CHotlia superior.

Iaxice.
Rzeplin.
Lentkovice
Lubna
Bialobrzezie.
Karncovv.
Oludza.
Goluchovv.
Biezanovv.
Karce.
Chelm.
Nieskovice
1.Sal de Bochnia.
2.Sal Przeniechan
3.Sal Szydinia.
Studzienica
Bavvol.
Skarzeszov
Ecclesia
Skarzeszo. antiqua.
Tres Marcæ puri argenti reditus annuus pro domo Miechouien.

Leonardus dedit villam iuxta Cocham inferiorem. Frater eius Wlodimirus dedit Belobreże. Ioannes dedit villam quæ decambita fuit á fratre eius Matheo pro Gostyrádze, Dominus Gierloch & Vxor eius cum filiis suis dederunt duas villas, scilicet Charncow & Oludzam: Vxor Wsebory pro eius anima & sua, & filiorum suorum, dedit villam quæ dicitur Golchowo, cum suis pertinentiis. Dominus Cagnimirus dedit Benganowo, Comes Iacobus Sandomiriensis dedit villam Károche, D. Michora dedit nobis super Rabbam villam, quæ dicitur Quelme cum Ecclesia, & decimis, forum & tabernam, & aliam villam Neskowice. Item addidit sal de Bochegna, aliud sal in Preuechna, tertium sal Sidignam, & aliam tabernam Studencam. Andreas frater Matthæi dedit Bamwol in Sundemirien. Prouincia. Comes Radoslaus, pro anima sua dedit nobis Scarissow, & Ecclesiam, forum & tabernam. Prædictus verò Dux Casimirus, talē huic foro contulit libertatem, vt ad ipsum venientes, morantes, & exeuntes, mercimonia liberè contrahere possent. Insuper consilio vsus, & prece monetariorum rogatus, tres marcas manualis argenti de domo dicti mo-

netarii

netarii dari decreuit. Domino verò terræ, de quolibet plaustro salis quinquaginta Capita, domui verò duodecim capita salis, accipere constituit, de aleciis verò totidem alecia. Hanc ergo supra dictam libertatem Domino Patriarchæ, & cæteris fratribus per literas suas demandauit; eandem etiam libertatem, coram Zdisláuo Archiepiscopo in Pascha Domini in Spierzow, multis ibidem nobilibus astantibus, Domino Casimiro iubente, Dominus Lupus Episcopus in communi prædicauit, tum etiam scripto & sigillo suo confirmauit. Decimas verò ipsius Ecclesiæ prædictas Episcopus Gedeco addidit, scilicet decimam de commemorato Skárißow, & aliarum quatuor villarum Modrelancz & Wirbice, Sdinechowic, & Crampa. Item prædictus Comes Radoslaus dedit Repinã, & homines morantes in ea. D. Zira & vxor eius cum filio suo Ottone, dederũt duas villas, Samogost quæ est supra Vislam & prope Kiie, aliam Christopherus dedit Zytnam, quam decãbiuit præfatus Cagnimir pro Borowna & Comeow: D. Otto de Werbic dedit Dirskow. Woislaus fr̃ Dni Gedeonis Episc: in Wroclauien: prouincia, dedit duas villas, quæ decambitæ fuerunt, ab Episc: Wroclauieñ.

Vectigal salis.

Casimir. libertates Cõuentui Miechoui. concessas, Patriarchæ Hier. per literas denunciat.

Zdislaus fuit Archiep: Gnesnẽ. Petri defuncti successor tẽpore Casimiri Ducis Polon. circa annum Domini 1183. mortu⁹. 1199. Crom: li. 6. in Casimiro. Lupus Epi: Plocen: gente Gozẽbius anno 1173. Vernero successit.

Zira Comes curator Lesci à Casimiro dat⁹, Masouiam atq. Cuiauiam omnem & Lesci consilia gubernabat, Crom. lib. 6. in Casimiro.

Groskouice. Slavvno. Gorzeslauice. Grodzisko.

pro villa quæ dr̃ Groskowicz, & pro Sclauono & earum decimis. D. Budźiwoy dedit Gorzesłáwice. In Gwenezne fr̃ Præslaus dedit Ecclesiam cũ duabus villis. Ducissa de Gwenezne dedit Grodźiß cũ taberna. Tuto Theutonicus dedit villã quæ est ante Rudam. Igitur quoniã à filiis non debetur reuocari in irritũ, quod à Patribus ob animarũ suarũ salutẽ, tam solẽniter est concessum: & quia donationes istæ, confirmatæ à Ducibus perpetuã debent stabilitatẽ habere. Vniuersos qui Domino & S. Sepulchro, suas dederũt eleemosynas Ecclesiæ nostræ à Patribus cõcessas, omni tempore ratas habeant, & quod ab eis statutum est, nullatenus violare præsumant, scientes quod si Filij Patrum donationes ratas habuerint, & illæsas, omnium orationum & beneficiorum quæ in nostra fiunt Ecclesia erunt participes, bonum à Christo præmium recepturi. Si vero libertates infringere, vel possessiones auferre illicita temeritate præsumpserint, nouerint se ante tribunal Iesu Christi districtum subituros iudicium, & ab ipso quem in crucis suspensum patibulo adoramus, cuius patrimonia inuaserunt, in extremo examine fortiter puniendos. Factũ est hoc A. D. Incarnationis, MCXCVIII.

CA-

CAPVT QVARTVM.

Declaratio superioris rescripti ex libro Monasteriorum per Diœces: Cracouien: consistentium, desumpta.

QVo melius primæua dotatio, quæ in hoc diplomate Patriarchæ Hierosolymitani summariè perstringitur, Cœnobij Miechouien: eiusque non mediocris iactura, Fratribus perspecta habeatur, operæprecium duximus, si hanc ex codice vetustissimo Ecclesiæ Cathedralis Cracouien. qui liber Monasteriorum Ecclesiæ ac Diœcesis Cracouien. vulgo appellari consueuit, à doctissimo illo viro, Ioanne Dlugosso maiore, Canonico Cracouien. Anno Domini 1448. sanctè ac religiosè composito, atq; optima & indubitata fide accuratissimè conscripto, paulo lucidiorem reddamus. Quam ille in hunc modũ recenset.

ORDO & Religio Fratrum Resurrectionis S. Sepulchri Dominici Hierosolymitani Canonicorum Regularium, rubeam geminatam crucem in mantelis deferentium, & sub Regula B. Augustini viuentium; tria habet loca in Diœcesi Cracouien: consistentia, quorum primarium in oppido Miechow, quinq; milliaribus à Cracouia distans, consistit, habẽs in se Ecclesiam Cœnobialem, eandemq; Parochialem

muratam, cuius omnis proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. confinat cum Zagorzyce, Siedliska, Wola Kalinska, Zagorow, Pstroßyce, Komorow, Iáxyce, donata Monasterio per Iaxam militem.

o **Komorow** *villa sub Parochia de Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouiense pertinet: confinat cum Biskupice, Miechow, Lgotá, donata Monasterio per Iaxam militem.*

o **Cothlia** *inferior, villa sub Parochia de superiori Kothlia sita, cuius proprietas ad Monasteriũ Miechouien: pertinet, sita in Diœcesi Gnežnen: donata per Suentoslaum militem, alienata à Monasterio.*

Cothlia *superior, villa habens Parochialem Ecclesiam S. Mariæ dicatam in se, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet, sita in Diœcesi Gneznensi, donata Monasterio per Stephanũ Comitem. alienata à Monasterio.*

Iaxyce, *villa sub Parochia de Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouiense pertinet, confinat cum Rzerzußno, Krampa, & minori Czáple. Donata Monasterio per Nicolaum Comitem Palatinum.*

Rzeplice *vila sub Parochia de -------sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per Nicolaum Comitem Palatinum. Alienata à Monasterio.* o

Lantkowice *villa habens in se Parochialem Ecclesiam ligneam, cuius proprietas in fundationis primordio, ad Monasterium Miechou: pertinebat, sed dudum ab eo abstracta est & alienata, quãdo frater germanus Præpositi Miechouien: Albertus, existens Aduocatus Cracouien: fraudem fecit in Wladislao Rege Poloniæ Loktek, tradendo ciuitatem Cracouien: Boleslao Duci Oppoliensi, quam ille seruare non valens Wladislao Loktek restituit. Anno 1312. ablata, & ab illo tempore nunquam Monasterio restituta, in qua triginta agri Cmetonales, & viginti tabernæ habentes agros, antiquitus numerabantur. Donata Monasterio per vxorem Gneuomiri & filium eius. Meminerunt huius alienationis, etiam posteriores Scriptores Polonici, maximè Cromerus dum ait. Insimulatus est etiam Ioannes Mußcata Episcopus Cracouien: conscius fuisse illius defectionis, quod eo facilius creditum est, quòd esset Silesius &c. Quin ad Miechouien: quoq;* o

Præpositum omnis culpæ expertem, serpsit pœnæ contagio. Nam Lentkowice Pagum luculentum & vberem ei Wladislaus ademit, propterea quòd eius vsum fructum Albertus Aduocatus, Præpositi frater haberet: hæc ille.

o Białobrzeźie *villa, sub Parachia de Mstyczow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per Wladimirum fratrem Leonardi. Alienata à Monasterio.*

o Łubna *villa sub Parochia de---------------sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per Lassotam militem. Alienata à Monasterio.*

o Kościrádźice *villa, sub Parochia de----------- sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per Wladimirum fratrem Lasothæ. Alienata à Monasterio.*

o Czarnkow *villa sub Parochia de---------sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per Ioannem militem Gerlath & eius consortem, & duos filios. Alienata à Monasterio.*

Woliczá *villa sub Parochia de Obichow sita, cu-*

ius proprietas ad Monasterium Miechou: pertinet.

Ołudza villa sub Parochia de Kydow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet, confinat cùm Solczà. Donata Monasterio per Gerlath militem, & vxorem, & duos filios.

Gołczowo villa sub Parochia de -------- sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per W scheborium militem. Alienata á Monasterio. o

Bieżánowo villa sub Parochia de--------- sita, cuius proprietas ád Monasterium Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per Kanimirium militem. Alienata à Monasterio. o

Karcze villa sub Parochia de--------- sita cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per Iacobum Comitem Sandomirien: Alienata à Monasterio. o

Chełm villa in colle eminentiori supra fluuium Raba sita, habens in se Ecclesiam Parochialem ligneam. Villa præfata cum sua propietate pertinet ad Monasterium Miechouie: Item Iuspatronatus præfatæ Ecclesiæ, integrè pertinet ad Præpositum & Monasterium Miechouien: Confinat cum Stanisławice, Eccl: Chelmensis antiqua in Regno Polon.

Mosczenicà, Targowisko. Donata Monasterio per Michoram militem.

Mosczenicá *villa sub parochia de Chełm sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Stanisławice, Lapßyce, * Gedżice, Siedlecz, Chełm.*

* Alias Gierczyce.

Targowisko *villa sub Parochia de Chełm sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Laskowice, Grotkowice, Lysekanie, Szarow, Klay, Stanisławice, & Chełm, & vtraq; Viazdy. Donata Monasterio per Michoram militem. Taberna & Theloneum supra Rabam sub Parochia de Chełm sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet, iuxta quam fluuius Raba, habens circa oppidum Vście ostia in Vislam decurrentia, cuius alueus quoniã frequentius inflatur aquis, ex Alpibus Panonicis & Polonicis cõfluentibus, sæpè inuadosus & periculosus est transeuntibus, quapropter Monasterium fabricauit supra illum pontem, & ratione illius habet theloneum pontale. Donata Monasterio per Michoram militem.*

Turek *taberna sub Parochia de Chełm sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet.*

Klay *villa regia sub Parochia de Niepolomice sita, in qua sunt duæ hortulaniæ habentes agros, quorũ proprietas ad Monasterium Miechou: pertinet.*

Mszcząćin *villa sub Parochia de Pobiednik sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouiense pertinet.*

Nieszkowa *villa sub Parochia de Pod:grodźie, prope oppidum nouæ Sandecz sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per Michoram militem.*

Sal *in Bochnia primum. Habuit in principio fundationis suæ Monasterium Miechou: specialem fundum, seu puteum, ad proprietatem suam pertinentem, de quo habebat vberes introitus, sed alienatus est à Monasterio Miechouien: nec illum amplius habet Monasterium Miechouien. Donatum Monasterio per Michoram militem.*

Sal *secundum in Przeniechan. Habuit & alium fundum, seu puteum salis Monasterium Miechou: in villa siue loco Przeniechan, in quo tunc vena salis fecunditer proueniebat, sed vena salis dispereunte, ille etiam reditus salis periit.*

Tertium Sal *in Szydzina. Habuit & tertium*

puteum ſalis Monaſterium Miechouien: in villa Szydzina prope Wieliczkam, ſed ille quoque puteus ſiccatus & exterminatus eſt, & à Monaſterio Miechouien: alienatus. Donatum Monaſterio per Michoram militem.

o Studźianká *taberna donata Monaſterio per Michoram militem. Alienata à Monaſterio eſt.*

o Báwoł *villa ſub Parochia de S. Iacobo in Caſimiria ſita, cuius proprietas ad Monaſterium Miechou: pertinet, donata Monaſterio per Andream militem fratrem Matthæi. Ad huius villæ proprietatem Capitulum Cracouien: commutatione incertum eſt, vel pretio peruenerat, quam cum annis pluribus tenuiſſet, Caſimirus ſecundus Polonus Rex, villa ipſa à Capitulo empta vel cambita, oppidum ex ſuo nomine Cáźimirz in ea fundauit, Cracouiẽ: Vrbi confrontatum. Alienata à Monáſterio.*

Skárzeſzow *oppidum in terra Sandomirienſi, propè Ciuitatẽ Radom ſitum; de quo originem duxit vir inſignis, magiſter Iacobus Decretorum Doctor famoſus, Decanus Vratiſlauien: & Canonicus Cracouien: qui B. Staniſlai Martyris & Pontificis Cracouien: maximo ſtudio & labore canoniza-*

tionem

tionem procurauit, habens in se Ecclesiam Parochialem ligneam. Confinat cum Kobelány, Boguslawice, Mákow, Chomethow, Modrzewice, Gamborzow. Donatũ Monasterio per Radoslaum Comitẽ. Ecclesia Skarzeszouien: antiqua.

Twarogowa Wola *villa sub Parochia de Skárzyssow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Oddanchow,* Krzyżánowice, Kobylány, Modrzewice, Skárzessow. Locata in cruda radice, in syluis & mericis ad Skárzessow pertinentibus.* *Alias Odechovv.

Sławno *villa sub Parochia de Noua cerkiew, sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Nowa cerkiew vtraq; Kiesskow, Garno.*

Census monetæ: *Contulit autem dotem & circa fundationem eius, præfato Monasterio Miechou: Casimirus Sandomirien: Dux, de thesauro fisci sui Ducalis, & de officina monetali sui Ducatus, tres marcas nummismati argenti, quem censum annis multis Monasterium Miechouien: percipiebat, sed is census dudum abolitus & extinctus est.* o

Census de Plaustris Salis: *Idem Casimirus Sandomirien: Dux, dotando Monasterium Miechou:* o

præfa-

præfatum, de quolibet plaustro Salis, quinquaginta capita salis habente in oppido Skarzyſsow, ducto vel ducendo, donauit Monasterio Miechouienſi duodecim capita salis, quæ ipſe accipere iure ſuo Ducali conſueuerat: Cenſus tamen omnis diſperiit.

o Cenſus de Aleciis. *Idem præfatus Caſimirus Dux Sandomirien: filius Boleslai Krzywousty Ducis & Monarchæ Poloniæ, dotem monaſterii aucturus, de quolibet vaſe alecum, in oppido Skárzeſsow Monaſterii Miechouien: certam penſionem, iure ſuo Ducali percipere inſcripſit, & donauit. Sed is cenſus quoque periit.*

o Rzepina *villa ſub Parochia de ---------- ſita cuius proprietas ad Monaſterium Miechouienſe pertinet. Donata Monaſterio per Radoſlaum Comitem. Alienata à Monaſterio.*

o Sámogoſcz *villa ſub Parochia de -------- ſita, cuius proprietas ad Monaſterium Miechouien: pertinet. Donata Monaſterio per Ziram militem, & vxorem eius & filium eius Otthonem. Alienata à Monaſterio.*

o Zytna *villa ſub Parochia de-------- ſita, cuius proprietas ad Monaſterium Miechou: pertinet,*

Donata Monasterio per Zyram & uxorem eius, & filium eius Ottham.

Dzierzkow *villa sub Parochia, de Skárzyßow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouię: pertinet. Confinat cum Krzyżánowice, Skárzeßow, Modrzewice. Donata Monasterio per Ottham de Wierzbica militem.*

Groſzkowice *villa sub Parochia de----------- sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouię: pertinet. Alienata à Monasterio.* o

Zdanow *villa sub Parochia de ---------- cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Alienata à Monasterio.* o

Krzesłáwice *villa sub Parochia de Pleßow, supra fluuium Dłubnia prope Mogiłam sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Biendźice, Mogiła, Lubcza. Donata Monasterio per Bogiuoium militem.* o

Grodzisko *villa habens Parochialem Ecclesiam in eadem villa sita, cuius proprietas ad Monasteriũ Miechouien: pertinet. Donata Monasterio per Ducißam Gnesnensem in maiori Polonia post Kalißiam propè oppidum Pleßow, & habet Præpo-*

Grodziscẽ: Eccl: antiqua:

Eccle: Wrocierzyen. antiqua in Regno Polon.

situm proprium. Alienata à Monasterio.

Wrociriz *villa habens Ecclesiam Parochialem in se. Hæc villa ex antiquo ad Ecclesiam & Episcopatum Lubucen: pertinebat, sed Anno Dni. 1394. Stanislaus Decretorum Doctor Præpositus Miechouien: quinta Nouembris de consensu speciali Vladislai secundi Poloniæ Regis, emit prædictam villam, à Ioanne Episcopo & Capitulo Lubucē: pro sexingentis marcis latorum grossorum Pragensium, vna cū lacu qui vocatur Dobrowodá. Confinat cum Iedlca, Páwłowice, vtraq̨ Zágáiow, Sándźiwoiowice, Thur.*

Micháłowice *villa sub Parochia de Wiecláwice sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Masłomiaca.*

Villa ante Rudam, donata Monasterio per Tutonem Teutonicum. Alienata à Monasterio.

Eccl: Vniciouien: antiqua in Regno Polon.

Vniciow *villa habens in se Ecclesiam Parochialem sancto Vito dicatam, lapide albo fabricatam, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Marćinowice, Pogwizdow, Charsnica & Swoiczány.*

Eccl: Chodouien: antiqua.

Chodow *villa habens in se Parochialem Ecclesiam ligneam, sancto Ioanni Baptistæ dicatam, cu-*

ius pro-

ius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Hæc villa empta est per Michaelem tunc Præpositum Miechouien: pro Monasterio Miechouiensi, à nobili Boleslao de Grzybow, de domo Rozæ milite. Confinat cum Charsnica, Withowice, Falniow, Pstrossyce.

Stáwiány villa sub Parochia de Kiie sita, cuius proprietas & dominium ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Kiie, Sandziwoiowice.

Sadowie villa sub Parochia de Kiie sita, cuius proprietas pertinet ad Monasterium Miechouien: Confinat cum Kije Sandziwoiowice. Alienata à Monasterio.

Gotártowice sub Parochia de Kiie sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Kiie, Sandziwoiowice.

Iádowniki villa sub Parochia de Swiatomarza propè Bodzacin sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Brzezie, &c.

Iedlcá villa sub Parochia Ecclesiæ de Wrocieryż, cuius proprietas & dominium ad Monasterium

Miechouien: pertinet. Confinat cum Wroćiryż altera Iedlca militari, Zagáiow.

Orłow *villa ſub Parochia de Prandocin ſita, cuius proprietas ad Monaſterium Miechouien: pertinet. Donata Monaſterio, per Niemierzam de Krzelow, Cuſtodem S. Floriani, & Canonicum Cracouien: Anno 1427. de domo Vulpium. Confinat cum Szczepanowice, Smrokow.*

Podleśna Wola *villa ſub Parochia de Miechow ſita, cuius proprietas ad Monaſterium Miechouienſe pertinet. Confinat cum Pſtroſſyce & Siedliská.*

Brzuchánia *villa ſub Parochia de Miechow ſita, cuius proprietas ad Monaſterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Kalina, Bukowska Wola, Strzeżow, Thochołow.*

Przecłáwice *villa ſub Parochia de Miechow ſita, cuius proprietas ad Monaſterium Miechouiē: pertinet. Confinat cum Iaxice, Smrokow, & minori Czáple.*

Kámienczyce *villa ſub Parochia de Miechow ſita, cuius proprietas ad Monaſteriũ Miechou: pertinet. Confinat cũ Iaxice, Przecláwice, & Miechow.*

Roſpir-

Rospirchow *villa sub Parochia de Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Alienata à Conuentu.* o

Strzeżow *villa sub Parochia de Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouiense pertinet.*

Smrokow *villa sub Parochia Ecclesiæ de Maiori Czáple sita, cuius proprietas & Dominium ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum minori Czáple.*

Przedmieyska Wola *villa sub Parochia Ecclesiæ de Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum oppido Miechow Falniow, Siedliska.*

Bukowska Wola *villa sub Parochia de Miechow sita, cuius proprietas & dominium ad Monasterium Miechouiense pertinet.*

Chálina *villa sub parochia Ecclesiæ de oppido Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouiense pertinet. Confinat cum Kalina militari, Zarogow, Wola Podleśna, Miechow, Siedliská.* o

Szczepanowice *villa sub Parochia Ecclesiæ de*

Miechow sita, cuius proprietas & Dominium ad Monasterium Miechou: pertinet. Confinat cum Parkoßowice, Orlow, Prándoćin.

Parkoszowice *villa sub Parochia de Sławice sita, cuius proprietas & dominiũ ad Monasterium Miechouien: pertinet.*

Falniow *villa sub Parochia de Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouiense pertinet.*

Pstroszyce *villa sub Parochia de Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouiense pertinet. Confinat cum Chodow.*

Siedliská *villa sub Parochia de Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechou: pertinet. Confinat cum Miechow, Zagorzyce, Pstroßyce.*

Wola Kálinska *villa sub Parochia de Miechow sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Confinat cum Kálina, Zarogow, oppido Miechow. &c.*

Grochutow *villa sub Parochia de Grodźisko sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet, in maiori Polonia post Kaliß, prope oppidum Pleßow. Alienata á Monasterio.*

Iankow

Iankow *villa sub Parochia de Grodzisko sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet in maiori Polonia prope Plessow. Alienata à Monasterio.* o

Sirchow *villa in maiori Polonia prope Plessow, sub Parochia de Grodzisko sita, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: pertinet. Alienata à Monasterio.* o

Bránischowice *villa in Diœcesi Gnesnensi, habens Parochialem Ecclesiam ligneam S. Mariæ dicatam in se, cuius proprietas ad Monasterium Miechouien: vel potius S. Ioannis in Gnesna pertinebat, & pro eius hospitali, nunc autem est sub ditione sæculari. Alienata à Monasterio.* o

Huius tam ampli Patrimonii ne mediam quidem partem superesse facilè is deprehendet, qui iacturam & alienationem Prædiorum, à viro sicut antiquitate ita & veritate præstante recensitam, ad calculum reuocauerit. Causa autem tanti damni, per se patet, vel quod maiores nostri minus apti essent ad tuendas, & manu tenendas possesiones, potentibus viris eas inuadẽtibus, vel quod liberaliores quam par est fuerint in distrahendis, vel quibusvis personis facilè alienandis bonis Ecclesiæ. Errata quidem maiorum nostrorum hanc in parte potius reprehendi, quam corrigi

possunt. Cæterum in posterum prospiciendum maximè est, ne inconsiderata & sacrorum Canonum legibus seuerissimis interpositis pænis vetita alienatione, bona Monasterij distrahantur, cum qui id faciant & qui facientibus assensum præbent, perniciem saluti suæ accelerant.

CAPVT QVINTVM.

Hierosolymis amissis Ordinis caput ac Præfectura, penes Conuentum Miechouiensem mansisse comprobatur.

CОrruente iam & propemodum extincta in Oriente Canonicorum SS. Sepulchri præclarissima stirpe, immani rabie barbarica, non illorum solùm, sed cunctorum qui Christi nomine censentur religiosorum funditus demolitis templis ac monasterijs, summam & verticem Ordinis præfati, diuina id ordinante clementia, penes Conuentum Miechouien: constitisse, narrat Dlugossus. *Quod quidem Cænobium* (refert dictus author) *propter sui excellentiã ac vetustatem, non solùm omnium Cænobiorum suæ generationis & ordinis, quæ in Regno Poloniæ exstant, sed etiam omnium, quæ in Galliis, Hispaniis, Anglia, Dacia, Napulia, Germania, Bohemia, & Hungaria consistunt, potest iustè & rectè vocitari & censeri vertex, cardo, & caput, cum om-*

nia ab hoc vno originem acceperint & generationē, in quod sumi Pontifices singularibus gratiis, & fauoribus vsi, plurimas loco illi, & vniuerso Ordini præfato, per vniuersa climata mundi diffuso, contulerunt indulgentias, libertates, exemptiones, & immunitates, quæ non alibi, quàm in loco præfato, originaliter sub Bullis Apostolicis continentur, Ordinis & loci excellentiam & prærogatiuam attestantes. Cui etiam omnia Monasteria Ordinis præfati, in Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Silesiæ, Russiæ Regnis consistentia subsunt, parent & obediunt, à Præposito Miechouiensi prouisiones, & institutiones, destitutionesq́ locorum, & charismata suscipiunt. Hæc Dlugossus. Cuius authoritati inhærentes, nos demũ omissa vlteriori Ecclesię Hierosolymitanę tractatione, & Patriarcharũ, qui post captam Vrbem, quocunq; loco illi sederint, dignitatemq; Patriarchalē retinuerint, enumeratione: Nobilissimi deinceps Cœnobij, res gestas, eiusq; clarissimorum Præsidum continuam successionem, aliquot Summorum Pontificum, ad declarandam antiquitatem, & loci prærogatiuam, Bullis prius recensitis, Deo adiuuante prosequi conabimur. Ac verò inprimis quantum attinet Martinũ primum, vt dictum est, Præpositum Miechouiensem quem ex Hierosolymitano Collegio in Poloniam per Jaxam adductum, & à Gedeone Episcopo Cracouien.

institutum, Dlugoſſus meminit. Hic Cœnobij & Eccleſiæ Miechouien: atq; adeò ipſius Sacri Ordinis fundamenta, primus in Polonia iecit: Vnde poſtea in vicinas huius Regni Prouincias coloniæ deductæ noſcuntur. Quamprimùm enim ille ſacrum hoc Apoſtolicum Inſtitutũ, in hoc occiduo orbe promulgaſſet, confeſtim ex omnibus terræ partibus, ad eum viri nobiles pij ac docti certatim accurrere, qui abdicato rerum propriarum vſu, inter alumnos Chriſti conſcribi ardenter poſtulabant, votoq; potiti, mox virtutum ſplendore, ac miro Sanctitatis odore, non Poloniam tantùm, ſed vicina quoq; Vngariæ, Sileſiæ, & Bohemiæ Regna adimplebant. Hinc experiti à multis, & curæ animarum in pleriſq; Diæceſibus admoti, adeò Ordinem propagaſſe deprehenduntur, vt Conuentus Miechouien: apud omnes occiduas nationes, notiſſimus celeberrimusq; haberetur. Et exinde per varias orbis prouincias, læti vbiq; Sacri Ordinis cœperunt aſſurgere palmites, & florentiſſima à deuotis huius Auguſtæ SS. Sepulchri familiæ extrui monaſteria, quæ hactenus magno cum Ordinis ſplendore & ornamento, extare cernuntur, licet plurima ex eis teſte Volaterano ab Innocentio Octauo Pontifice Max: Ordini S. Ioannis agglutinata ſint. Aubertus Myræus Bruxullenſis, Protonotarius Apoſtolicus, in libro, quem nuper de Originibus variorum ordinum edidit, facit celebrem mentionem Ordinis Crucigerorum, quorum etiam Monaſteria compendioſè collecta, his ver-

bis re-

bis recenſet. Ordo Crucigerorum in Belgio, Germania, & Gallia fuit inchoatus circa Annum Chriſti 1216. eiuſdem Congregationis Monaſteria hodieq; florent. Hui ad Moſam fluuium in Diæceſi Laodicenſi, vbi pulcherrimum dicit etiam nunc extare Monaſterium, idq; Congregationis caput eſſe cenſet, ex eo, quod à Petro Eremita, qui ingentem Chriſtianorum exercitum contra Turcas collegerat, iunctisq; copijs cum B. Godefrido, ei omnium itinerum & belli fidus comes extiterat, conſtructum & fundatum ſit. Sed aliter ex Priuilegijs & reſcriptis tàm Summorum Pontificum, quàm ipſorum Patriarcharum Hieroſolymitanorũ patet, qui hoc munus ac prærogatiuam ſoli Conuentui Miechouien. detulerunt: quemadmodum inferius à nobis declarabitur. Proclamari autem, ait Myræus, eo in loco annue Beati viri memoriam, ſequentibus verbis. Octauo Idus Iulij Anno 11 5. Obijt Dñus Petrus Venerabilis Sacerdos & Eremita, qui primus prædicator S. Crucis à Dño meruit declarari. Hic poſt acquiſitionem Terræ ſanctæ, cum reuerſus fuit ad natale ſolum, ad petitionem quorundam virorum nobilium, & ignobilium, fundauit Eccleſiam iſtam, in honorem S. Sepulchri & Sancti Ioannis Baptiſtæ, in qua idoneam elegit ſibi ſepulturam: Ita Myræus ex Molano de natalibus Sanctorum Belgij. Enumeratq; perindè & alias dicti Ordinis, in diuerſis locis & prouincijs Eccleſias, vt pote Leodij, Tornaci, Aquiſgrani, Coloniæ, Embricæ, Duſſeldorpij, Venlonæ, Rurmun-

 dæ, Vui-

dæ, Vuicardij, Altinemoris, Trapontis, Traiecti ad Mosam, Maseicæ, Dionanti, Brugis in Flandria, Syluæ ducis in Brabantia, Parisijs, Tolossæ, & olim Londini in Anglia, Hornæ, Schidami, Culenburgi, Franiqueræ, & alibi in Batauia, Frisia, vicinisq; ditionibus. Per Bohemiam quoque, Morauiam, Silesiam, ac Poloniam longè patere Ordinem Crucigerorum, cum insignijs rubeæ Crucis, Stellæ, & Nauiculæ idem author meminit. Qui quantumlibet regionum, congregationum, atq; insignium differentijs sint secreti (nisi militari Ordini fuerint adscripti) vnius eiusdemq; Ordinis censeri debent, quotquot Canonicorum Regularium vocabulo comprehenduntur, professionem Canonicam emittentes & retinentes. Addo, in Regno quoq; Vngariæ, antiquam Canonicorum S. Sepulchri à Conuentu Miechouień: profectam extare coloniam, quæ cum antea prout acta vetusta eiusdem Conuentus habent, in DistrictuÁrisz constitisset, postea ob crebras Turcarum incursiones, in Comitatum Sczepusiensem, vti Regno Poloniæ conterminum, & ab hoste remotiorem locum translata est, vbi ad hoc vsq; tempus perseuerat. Sunt autem ibi tres Ecclesiæ Parochiales, Landecensis, Hanusoffcensis, & Lapsensis, quæ olim opulentes, solius hactenus Conuentus Miechouień: iurisdictionem agnoscunt, sed earum reditus nimium sunt accisi, ob alienationem possessionum, ad easdem Ecclesias spectantium, non ita pridem de consensu Andreæ S. R. E. Cardinalis Bathoræi, Præpositi Ge-

Eccl: ad Cōuentum Miechouien: spectantes. Landecensis Hanusoffcēsis, Lapsensis.

neralis Miechouieñ: sub Anno 1599. fratribus id permittentibus factam. Sed redeundo ad Martinum primum, vt dictum est, Præpositum Miechouieñ: Hic cum annos triginta tres, in præfectura Cœnobij Miechouieñ: à se optimè constituti & ordinati, sancte & laudabiliter transegisset, tandem bonis operibus plenus, senio & laboribus confectus, animam cælo intulit, Anno Dñi, 1198. habita ratione illius in Poloniam aduentus, nam Anno Dñi, 1165. in has oras primùm venisse comperitur.

Obitus Martini primi Præpositi Miechouiẽ.

Annus Christi, 1198.

Sacra suosque pius crudeli ex hoste penates
Extulit Æneas in Latiumq́ tulit
Quæ pietas Martine tua, hanc S. Ordo Sepulchri
Sarmatiæ in Regno, stirps tua prima docet.

Porrò nos Cathalogum Præpositorum Miechouiẽ: ad peculiarem tractatum reijcientes, nunc ad antiquitatem prærogatiuamque almi Conuentus Miechou: confirmandam, iusque illius tuendum, aliquot vetustiores Summorum Pontificum Bullas, Patriarcharumque Hierosolymitanorum rescripta, in medium proferre constituimus. Præmisso prius insigni ac vetustissimo ad Ecclesiastica beneficia Alexandri Tertij Summi Pontificis ad Patriarcham Hierosolymitanũ Diplomate, ne has sine consilio Fratrum suorum Canonicorum sancti Sepulchri in posterum facere præsumat. Quod sic habet: *Nouit plenius, sicut credimus, tuæ discretionis prudentia, qualiter tu &*

fratres tui vnum corpus sitis, ita quidem quod tu caput & fratres tui membra esse probentur; vnde non decet te omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis vti, cum id non dubium & honestati tuæ, & sanctorum patrum institutionibus contraire, innotuit siquidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum Abbates & Abbatistas, & alias Ecclesiastas personas instituis & destituis, non considerans nec attendens, quomodo te non sit dubium statuta sacrorum canonum transgredi, cum in huiusmodi causis clericorum & laicorum circa te commorantium, qui de corpore ipsius Ecclesiæ non sunt, potius quam fratrum tuorum consilio vti dicaris. Inde est quod discretioni tuæ authoritate Apostolica prohibemus, ne Abbates Abbatistas vel alias Ecclesiastas personas sine consilio & assensu Prioris & fratrum tuorum Canonicorum sancti Sepulchri, instituere vel destituere aliqua ratione de cætero præsumas, quod si forte, quod non credimus, contra prohibitionem nostram attentare præsumpseris, nos tales institutiones & destitutiones, si quas amodo feceris, auctoritate Apostolica cassamus, & omni robore & stabilitate carere decernimus. Ita Alexander de electionib.

CAPVT SEXTVM.

Innocentii Papæ III. binæ Bullæ, pro domo Miechouiensi, & Cadlubconis Episcopi Cracouiensis, certæ decimæ pro eadem domo vetusta fundatio.

AD stabiliendam horum omnium, quæ de antiquitate & prærogatiua Canonicorum S. Sepulchri superius attulimus, veritatem, ne cui amplius de hoc celebri Ordine, eiusq; sacro surculo Conuentu videlicet Miechouien: ambigendi relinquatur locus. Iuuat ad præmissas aliorum quoq; Summorum Pontificum, quæ in Archiuo Conuentus Miechouiẽ: authenticæ extant, addere atque recensere Bullas. Ex his verò Innocentij Papæ Tertij, vti reliquis vetustiores merito primum locum sibi vendicant, quibus Domum Miechouien: recenter in Polonia fundatam, cũ omnibus personis & possessionibus ad eam spectantib. sub protectionem Sedis Apostolicæ recipit, & donationes atque immunitates Principum pro ea Domo factas, authoritate Apostolica confirmat, in hunc qui sequitur modum:

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERuus seruorum Dei, dilectis filijs fratribus Dominici Sepulchri in Polonia constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia, deuotos & humiles filios, assuetæ pietatis officio propensius di-

Innocen: 3. Anagninus in Pontificatum electus Anno 1197. sedit annos 18. men: 7. dies 16. obiit Anno 1215. fuit doctissimus Theologus & Iurisconsultus, multasque Epistolas decretales de rebus arduis scripsit, vt in li: 5. Decretor. plura ipsius scripta reperiantur quam omnium aliorum simul Põtificum. Hic Pontifex decretũ illud edidit, vt saltem annis singulis in feriis Paschalibus omnes tam mares, quã feminę sacram Eucharistiam percipere tene-

ligere

rentur. Cap. Omnis de pænit. & re miss: Belar: de arte bene moriendi. lib: 1. c. 12. De eius laudibus vide Michaelem Bucchingerum in Hist. Ecclesiastica noua fol: 245.

*ligere consuenit, & ne prauorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suæ protectionis munimine confouere. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus, grato concurrentes aßensu, personas vestras, & Domum Dominici Sepulchri, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter poßidetis, aut in posterum iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem villam de *Meschow cum appēditiis suis, quam bonæ memoriæ * Iasco, anteceßoribus vestris prouida contulit pietate. Nec non etiam libertates, immunitates, & consuetudines rationabiliter Domui & hominibus vestris, à * Mesicone quondam Poloniæ Duce, conceßas, sicut ea omnia iustè & pacificè poßidetis, & ipsius Ducis scripto authentico continetur, vobis ac per vos Domui vestræ, authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & B. Petri & Pauli Apostolo-*

*Alias Miechovv.

*Alias Iaxa.

*Alias Mescone.

postolorum eius se nouerit incursurum. Datum Ferentii II. Idus Octobr: Pontificatus nostri Anno Vndecimo. Annus Christi, 1208.

Alterius Bullæ eiusdem sum̃i Pontificis exemplar.

Innocentius Seruus seruorum Dei, dilectis filiis fratribus Dominici Sepulchri in Polonia constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia, deuotos & humiles filios, ex assueto pietatis officio, propensius diligere consueuit, & ne prauorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater, suæ protectionis munimine consouere. Eapropter dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & Domum Dominici Sepulchri cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem libertates Domui & hominibus vestris à bonæ memoriæ Casimiro Poloniæ Duce concessas, sicut eas iustè ac pacificè possidetis, & in ipsius Ducis scripto authentico continetur, vobis & per vos, Domui vestræ authoritate Apostolica cõfirmamus, & præsentis scripti Pa-

trocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ protectionis & cõfirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum, eius se nouerit incursurum. Datum Ferentini II. Idus Octobr. Pontificatus nostri Anno Vndecimo.

Præsidebat tum Ecclesiæ Cracouiensi cum munere Episcopali, vir pius & doctus, Magister Vincentius Cadłubcus, nobilis, prout notat Dlugossus, de domo & familia Roze, qui peculiarem gerendo erga ordinem nostrum affectum, decimam manipularem in villa Svviniarovva, accedente vniuersalis Capituli sui consensu, liberaliter Conuentui Miechouiensi impertiuit, specialique rescripto confirmauit. Quod nos veluti antiquitatis singulare monimentum, hoc loco apponere censuimus; cuius tenor hic est.

In Nomine sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Quia mundus caducus est & diuersis quotidie casibus variatur, necesse est actiones legittimas, quæ memoria indigent, per scripti continentiam transmitti in notitiam posterorum. Eapropter ego Vincentius miseratione Dei Cracouiensis Episcopus,

Mona-

Monasterio de Miechouia, pietatis intuitu, decimã in villa Budiuogii quæ vocatur Swiniarowo, consensu Capituli Ecclesiæ nostræ dedi in eleemosynam, ad loci indigentiæ succurendum iure perpetuo possidendam. Actum est in Cracouia Anno ab Incarnatione Dñi, M. CC. XIIII. Kalend: Septemb. in ipso die Assumptionis Gloriosæ Virginis Mariæ Testes huius rei sunt, Decanus Cracouiẽ: Viseslaus, Præpositus Bochuualus, Archidiaconus Andreas, Magister Benedictus, Cantor Laurentius, Custos Henricus, Blasius, Woico, Radulphus, Petrus Blasentius, Ioannes de Crussow, Pancrelaus, Ioannes filius Gostrzlaui, Stephanus Sławoss, Martinus, Nicolaus, Goruinus, Pancratius, Szrzlaus, Boguslaus, Troianus, Zawissa, Dobegneus Præposius Wislicen: Nicolaus Kielcensis Decanus, Ioannes Præpositus, Adalbertus Archidiaconus Sandomiriensis, Ioannes Arhidiaconus Zauichost: Stephanus & alii plures.

Tantæ autem humilitatis ac pietatis, hunc Episcopum fuisse Polonici scriptores referunt, vt cum multa Cracouien: Basilicæ ac religiosis locis contulisset, vltro Episcopatu Cracouien: se abdicauit, nec quicquam aduersante Principe Lescone Albo, & dissua-

dente Collegio Sacerdotum, in Andreouiensi Monasterio Religionem Cistercien: professus, reliquos vitæ annos deuote exegit. Extant in Archiuio Conuentus Miechouien: plura antiquitatis præclarissima monumenta, quæ maximum Ordini sancto & loco addunt splendorem ac dignam venerationem, sed singula prosequi longum esset: sufficit ea tantum comminisci quæ ad illustrandum institutum nostrum pertinere dignoscuntur. Proinde sequentium sumorum Pontificum ad eam rem spectantia diplomata, hic affatim producere gestit animus.

CAPVT SEPTIMVM.

Honorius 3. in Pontificatum electus Anno 1215. sedit annos 10. mens. 7. dies 13. obiit An: 1226. confirmauit ordines Prædicatorum & Minorũ biennio ante mortem D. Frãcisci.

Honorius Papa III. Ordinem vniuersum sancti Sepulchri eiusq; Ecclesias & Domos, sub patrocinium sedis Apostolicæ recipit.

HOnorius Episcopus Seruus seruorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Dominici Sepulchri, salutem & Apostolicam benedictionem. Effectum iusta postulantibus indulgere, & vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem & pietas adiuuat, & veritas non relinquit. Quapropter dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus gratum impertientes

aſſenſum, Eccleſiam glorioſi Dominici Sepulchri, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona, eadem Eccleſia vbilibet locorum in præſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum iuſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, ac ſpecialiter Eccleſiam quã habetis apud Accon, & Eccleſiam quam habetis apud Tyrũ, Eccleſiam quam habetis Antiochiæ, Eccleſiam quam habetis apud Conſtantinopolim, Eccleſiam quam habetis apud Theſſalonicã, & Eccleſiam quam habetis Baroli, Eccleſiam quam habetis Troiæ, Eccleſiam quã habetis Brundiſii, Eccleſias quas habetis in Sicilia, Eccleſias quas habetis in Hiſpania, Eccleſias quas habetis in Polonia, Eccleſias quas habetis in Bohemia, Eccleſias quas habetis in Vngaria, Eccle: quas habetis in Sclauonia, Eccle: quas habetis in Alemania, Eccleſias quas habetis in Francia, & Eccleſias quas habetis in Lombardia & in Tuſcia, & Eccleſias quas habetis in Anglia, cum omnibus tenimentis & pertinentiis earundem, tenimentum quoq; quod habetis apud Tripolim, & tenimentum quod habetis apud Subeloth, Caſale quod habetis apud Cyprũ, & tenimentum quod habetis in Morauia cum v-

niuersis illorum pertinentiis, sicut ea omnia iustè ac pacificè possidetis. Omnes insuper libertates, immunitates & iura, quæ vos seu Ecclesiæ vestræ obtinuistis per quandraginta annos ante Concilium generale, vobis & Ecclesiis ipsis, non obstantibus controuersiis motis post ipsum Concilium, authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Porrò clerici Ecclesiarum vestrarum, Crisma, Oleum sanctum, Ordinationes clericorum, Consecrationes altarium ab Episcopis Diœcesanis accipiant, si tamen Catholici fuerint, & gratiam atq; cōmunionem Apostolicæ sedis habuerint, eaque ipsis gratis & sine grauitate voluerint exhibere, alioquin liceat eis quos maluerint adire Catholicos Antistites, qui nostra fulti authoritate, quod postulatur indulgeant. Nulli præterea fratrum vestrorum liceat post factam in Ecclesia vestra professionem, sine Patriarchæ, aut Prioris sui licentia, ab ipsa discedere, discedentem vero, sine communium cautione literarum, nullus audeat retinere. Ad hæc ad exemplar fælicis memoriæ Adriani Papæ prædecessoris nostri statuimus, vt Ecclesiæ vestræ in quibus fuerit Congregatio fratrum, pro communi

Paro-

parochiæ Interdicto non vacent, sed liceat semper fratribus vestris in eisdem Ecclesiis commorantibus, non tactis tintinabulis, Interdictis & Excommunicatis eiectis, clausis ianuis & submissa voce, diuina officia celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, confirmationis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationē Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Vrbem Veterem, XIV. Calend: Sept Pontificatus nostri Anno quinto: Annus Christi, 1220.

Fecerunt id consequenter & alii quam plures sum̃i Pontifices, magnisq; gratiis Apostolicis Ordinē hunc per antiquum ornauerunt, quorũ rescripta singula non est præsentis negotii recensere, cum ea separatum volumen requirant, quæ nos prope diem in lucem proditura speramus, nec enim conuenit tantum thesaurum à summis Pontificibus profectum, diutius in abscondito teneri. Illud hic omnino ingrato silentio præterire non licet, quod inter prestantissima Ordinis nostri monumenta annumerari debet, Vrbani nempe Papæ IV. effusa erga religionem nostram liberalitas, & penè paternus in eam affectus. Hic enim ex corpore Canonicorum S. Sepulchri, primum in Patriarcham Hierosolymitanum lectus, postea in culmen

ſedis Apoſtolicæ à Deo vocatus, non immemor quod olim è Syria diſceſſurus ſuis Clericis dixerat, ſi oblitus fuero tui Hieruſalem obliuioni detur dextera mea, adhæreatq; lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui; Studium omne ad id conuertit, quo ordinem hunc honorificentiſsimum apud omnes redderet, proinde multis eum ac magnis gratiis Apoſtolicis doniſque comulaſſe comperitur, è quorum numero vnum atq; alterum exemplar in medium proferre ſufficiet.

Vrbanus 4. Trecenſis in Pontificatū electus Anno 1260. ſedit annos 3. menſ: 1. dies 4. obiit. Anno, 1264.

VRBANVS IV. EXIMIT ORDInem ſancti Sepulchri ab exhibitione procurationum, & cuiuslibet ſubſidii, Archiepiſcopis, Epiſcopis & quibuſlibet aliis Prælatis, faciendi.

Vrbanus Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, dilectis filiis & fratribus Dominici Sepulchri Hieroſolymitani Ordinis ſancti Auguſtini, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pro re delectabili & iucunda ducimus, vt cum loca diuino dicata cultui, ex poteſtate nobis diuinitus attributa, multipliciter honorare poſsimus, ſanctam Hieroſolymitanam Eccleſiam, de cuius regimine licet immeriti nos fuimus ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium euocati, cum locis ſibi ſubditis, attolamus munere gratiæ ſpecialis. Hinc eſt quod nos veſtris ſupplicationibus annuentes, authoritate vobis præ-

ſentium

sentium indulgemus, vt vos seu Priores, aut Rectores vel fratres, Prioratuum, Ecclesiarum, Domorum & membrorum vestrorum, ad exhibitionem procurationum, vel cuiuslibet subsidij faciendam, Archiepiscopis vel Episcopis, aut quibuscunq; Ordinariis, vel Ecclesiarum Prælatis, seu etiam Legatis & Nuntiis Apostolicæ sedis, exceptis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, minime teneamini, nec ad id compelli poßitis, sine speciali mandato sedis eiusdem, faciente plenam & expreßam de Sepulchro Dominico, & indulgentia huiusmodi mentionem. Nos enim nihilominus Suspensionis, Interdicti, & Excomunicationis sententias, si quas in vos vel aliquem vestrum, seu vestras Ecclesias, per quemcunq; contra indulgentiam ipsam promulgari contigerit, exnunc decernimus irritas & innanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ conceßionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum se nouerit incursurum. Datum apud Vrbem veterem II Non. Nouembr. Pontificatus nostri Anno secundo.

IDEM SVMMVS PONTIFEX LIBERAS facit Ecclesias dicti Ordinis à solutione decimarum laborum suorum, & exactionibus insolitis, & quod liceat de suo gremio ad Ecclesias fratres præsentare.

Urbanus Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Dominici Sepulchri Hierosolymitani, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dei ac Domini & Redemptoris nostri Iesu Christi reuerentia nos inducit, vt Ecclesiam vestram, quam ipse Christus sua corporali præsentia illustrauit, & toti mundo reddidit venerandam, diligere ac fouere, speciali sollicitudine studeamus. Sane ex parte vestra fuit propositum conquerendo, quod cum quædam Ecclesiæ vobis subiectæ, vsque ad proxima tempora fuerint à præstatione decimarum laborum suorum liberæ ac immunes, & instituendi ac destituendi personas, in quibusdam ex ipsis Ecclesiis liberam habueritis facultatem, quidam Archiepiscopi & Episcopi, aliiq; Prælati, occasione Concilij generalis, euacuare nituntur huiusmodi libertates, & nitentes à vobis de laboribus vestris decimas extorquere, vosq; compellere ad præsentandum in ipsis Ecclesiis

perpetuos vicarios clericos sæculares, ac aggrauantes vos exactionibus in debitis & insolitis, ac in Ecclesias ipsas & personas consistentes, in illis frequẽter Excomunicationis, & Interdicti sententias, sine causa rationabili iaculantes, his & aliis modis se vobis plus solito difficiles exhibent, & molestos, qui hoc tẽpore se vobis deberent magis fauorabiles & propitios exhibere. Quare nobis humiliter supplicastis, vt immunitates & libertates, quibus per quadraginta annos, ante ipsum Concilium gauisæ sunt Ecclesiæ memoratæ, non obstantibus controuersiis motis à tempore Concilii memorati, confirmantes easdem nec permittentes violari temere, vel infringi, aduersus alia grauamina prænotata, prouisionis Apostolicæ remedium apponere dignaremur. Nos igitur precibus vestris benignius impertientes assensum, ad instar fælicis recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, immunitates & libertates prædictas, vobis & præfatis Ecclesiis, sicut eas obtinuistis, pacificè vsque ad tempus Concilii supradicti, authoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, auctoritate præsentium districtius inhibentes, ne quis Ecclesias ipsas vel perso-

nas comorantes ibidem, tam super ipsis decimis, quã aliis exactionibus nouis & indebitis molestare, vel in eos Excomunicationis vel Interdicti sententias, sine manifesta & rationabili causa, & canonica monitione præmissa, promulgare præsumat. Si quas vero sententias aliter proferri contigerit, eas decernimus irritandas, & illos qui easdem protulerint canonice puniendos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, inhibitionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationẽ Omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Montem Fiascon: 3. Non: Octobr: Pontificatus nostri Anno secundo.

IDEM VRBANVS IV. PONT: MAX: Conuentum Miechouien: cum annexis membris, ab iurisdictione Archiepiscoporum & quorumlibet Lociordinariorum eximit, quam exemptionem postea Gregorius PP. XI. confirmauit, in hunc qui sequitur modum:

Gregorius Episcopus Seruus seruorum Dei, dilectis filiis, Præposito & fratribus Domus Sepulchri Dominici Hierosolymitani de Miechouia Ordinis

S. Augustini Cracouien: Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Vera deuotionis sinceritas promeretur, vt vos & Domum vestram paterno prosequentes affectu, petitiones vestras quantũ cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Tenorem igitur cuiusdam Priuilegij fœlicis recordationis Vrbani Papæ IV. prædecessoris nostri, quod incipit vetustate consummi, & quod inspici & examinari fecimus, diligenter de verbo ad verbum ad vestræ supplicationis instantiam præsentibus adnotari fecimus, qui talis est: Vrbanus Episcopus Seruus seruorum Dei, dilectis filiis Præposito & fratribus Ecclesiæ Dominici Sepulchri de Miechouia, ad Ecclesiam Hierosolymitanam pertinentis: Ordinis S. Augustini Cracouien: Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sanctam Hierosolymitanam Ecclesiam, de cuius regimine, benignitas conditoris omnium prout dignanter sibi placuit, nos licet immeritos ad Apostolicæ dignitatis fastigium euocauit, illa de causa potissime affectum gerimus specialem, quia eam Deus & Redemptor noster Dominus Iesus Christus sua corporali præsentia insignem reddidit, & consecratam suo pretioso sangui-

ne, venerandam vniuersitati fidelium stabiliuit, ex huiusmodi enim affectionis nostræ synceritate procedit, quod non solum ipsius Ecclesiæ iura in suo robore conseruari cupimus, sed etiam attollendis eius honoribus & profectibus ampliandis insistere iugiter affectamus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus deuotis inclinati, Ecclesiam vestram de Miechouia, & omnia ipsius membra existentia, in Polonia, Bohemia, Sclauonia, Rußia, Vngaria, & Teutonia ab omni iurisdictione, potestate ac domino Archiepiscoporum omnium, & aliorum quorumlibet Prælatorum, seu Capitulorum, tam Cathedralium quam aliarum Ecclesiarum, & omnium Ecclesiasticarũ personarum totaliter & perpetuo authoritate Apostolica eximimus, statuentes vt dicta Ecclesia Miechouien: & membra prædicta in spiritualibus & tẽporalibus soli Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & nulli alij sint subiecta, ita quod nec dicti Archiepiscopi & Episcopi, seu Prælati, Capitula, Ecclesiasticæq; personæ, nisi tantũ Patriarchæ Hierosolymitano qui pro tempore fuerit, Ecclesiamq; vestram & mẽbra ipsius vt pote ab illorum iurisdictione prorsus exempta, vel vos aut personas vestras omnes Domi-

no seruientes in illic & in posterum seruituras, communiter vel diuisim interdicere, suspendere, vel excomunicare valeant, aut alias quocunque modo in vos & Ecclesias vestras, membraq́ prædicta & personas earum, potestatem vel iurisdictionem aliquam exercere, nos enim si secus præsumptum fuerit decernimus irritum & inane. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis nostriq́ statuti & decreti infringere, vel ei ausu temerario cõtraire, si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Vrbemueterem II. Non: Nouebr. Pontif: nostri Anno secundo. Nos itaq́ vestris in hac parte supplicationibus inclinati, huiusmodi Priuilegium authoritate Apostolica innouamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, per hoc autem nullum ius alicui de nouo acquiri volumus, sed antiquum tantumodo conseruari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis infringere, vel ei ausu temerario contra ire Si quis autem hoc attemptare præsumpserit Indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum

Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Auinioni 11 Calend: Maij, Pontificatus nostri Anno secundo.

Porrò memoratus Vrbanus IV. Pontifex Maximus, festiuitatem Corporis Christi feria 5. post octauas Pentecostes solenniter celebrandam instituisse legitur. Occasionem dedit sacerdos quidam apud Vulsinios Diœcesis Vrbeuetanæ. Is enim cum sacra Missarum solemnia celebraret, Sacramento Eucharistiæ iam perfecto, de panis & vini transubstantiatione, & Christi corporis sub speciebus panis & vini præsentia dubitauit, cum autem ambigeret dictu & visu mirum, statim ex sanctissima quam in manibus tenebat hostia, sanguis copiosissimus manauit, & totam eã mappam quam corporale vocant tinxit. Voluit Vrbanus mappam sanguine imbutam videre, quam dum Episcopus Vrbeuetanus detulisset, & inquisitione facta veritatem rei Pontifici significasset, ille ex voto S. R. E. Cardinalium, eam anniuersariam instituit, corporale vero in Ecclesia Vrbeuetana recondidit. Sanctus Thomas Aquinas, tam insignis celebritatis Officium Ecclesiasticum composuisse fertur, cum hymno & prosa, quod misit ad Vrbanum PP. à quo in præmium columnam argenteam retulisse eum narrat Nauclerus. Tandem Vrbanus ætate & morbis confectus, ab Vrbeueteri Perusium delatus, in Ecclesia S. Petri deuote susceptis Ecclesiæ Sacramentis, 6. Nonas Octo:

diem clausisse extremum comperitur. Verus pastor vrbis & orbis, Canonicorum vero S. Sepulchri fautor maximus & propagator. Corpus illius Perusij in Ecclesia Cathedrali S. Laurentij sepultum esse dicitur.

CAPVT OCTAVVM.

Præpositi Miechouien: titulum ac dignitatem Generalatus totius Ordinis Canonicorum S. Sepulchri, ex speciali rescripto Patriarchæ Hierosolymitani, & decreto sedis Apostolicæ retinent.

DEducta per Dei gratiam Conuentus Miechou: atque adeo vniuersi Canonicorum Ordinis S. Sepulchri, hoc quoq; tertio libro, ex sacris Apostolicis rescriptis, antiquitate & præeminētia: restat vt ostendamus, qualiter penes dictum Conuentum, vti principale membrū, suprema potestas præfati Ordinis remanserit, & quod non alium præterquā ipsum Præpositum Miechouien: ipsemet Patriarcha Hierosolymitanus, in Vicarium Generalem deputauerit, atque peculiari diplomate eam dignitatem solis Præpositis Miechouien: ratam esse voluerit: cuius hic tenor est.

Fernandus, miseratione diuina sanctæ sedis Hierosolymitanæ Patriarcha, Venerabili ac religioso viro, Fratri Stanislao Præposito Miechou: Ordinis S. Augustini S. Sepulchri Dominici Hierosolymitani Cracouiensis Diœcesis salutem, & in eo

qui pro ſalute humani generis elegit Hieroſolymis crucifigi, & die tertia reſurgere de ſepulchro, paternam benedictionem. Debitum paſtoralis officij nos excitat & inducit, vt de ſalubri ſtatu perſonarum & locorum noſtro & præfatæ Eccleſiæ regimini ſubiectorum cogitemus attentius, ac eis ſuper hoc prouidere, authore Domino, ſollicite ſtudeamus, ac vbi perſonaliter adeſſe non poſſumus, huiuſmodi noſtræ ſollicitudinis onera illis impertiamur perſonis, quarum fidei ſyncera deuotio, honeſta conuerſatio, ac prouida circumſpectio, nobis præſtant fiduciam pleniorem. Conſiderantes teſtimonia nuntiorum probitatis veſtræ, propter quam non immerito partem omnis prædictæ ſollicitudinis vobis prouidimus imponendam: vnde literarum tenore præſentium, omni modo, via, & forma quibus melius de iure & conſuetudine poſſimus, vos facimus, conſtituimus, & ordinamus pro nobis, & præfata Hieroſolymitana Eccleſia, noſtrum procuratorem, oeconomum, correctorem, & reformatorem, ac Vicarium generalem in Polonia, & in tota prouincia Gneſnen: & Vngaria, Sclauonia, ſuper omnes & ſingulas Domos & loca, ac perſonas Ordinis prædicti dictæ Eccleſiæ

Hiero-

Hierosolymitanæ subiecta, quoscunque alios nostros Vicarios, si in dictis terris fuerint, per nos vel alios positi, & constituti reuocantes. Dantes & concedentes vobis eorundem tenore præsentium, plenam & liberam potestatem, & mandatum speciale, loca prædicta, Monasteria, Ecclesias, Domos, Præpósituras, Prioratus, Plebanias & Hospitalia, & quæcunq; alia loca, cuiuscunq; conditionis, Ordinis Sepulchri Domini Hierosolymitani prædicti, nostra authoritate visitandi, & reformandi, nec non loca ipsa & personas ipsorum, videlicet Præpositos, Priores, Priorissas, Magistros, Præceptores, Plebanos, Rectores, & alios Administratores, Oeconomos & Officiales, Fratres, Confratres, Conuersos, Sorores, & alias personas cuiuscunque conditionis & sexus existant, & quocunque nomine censeantur corrigendi & etiam de criminibus excessibus, & culpis aliis, secundum prædicti Ordinis nobis subiecti obseruantias inquirendi, tam in capite, quam in membris, puniendi quoque & reformandi, in eis quæ reformationis officium noueritis indigere, & generaliter tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus, inobedientes & rebelles omni canonica correctione, ac per

censuram Ecclesiasticam compescendi, & inuocandi super hoc si opus fuerit auxilium quorumcunq; Ordinariorum, ac etiam brachii sæcularis. Excommunicandi & absoluendi excommunicatos, etiam pro violenta manuum iniectione, & in casibus de iure nobis reseruatis: Confessiones in foro pænitentiæ audiendi, & absoluendi in casibus in quibus nos possumus, satisfactionem & pænitentiam salutarem eis iniungendi, causas, lites, & controuersias, ad forum seu cognitionem, iurisdictionemq; nostram spectantes, audiendi & decidendi. Damus etiam vobis plenam & liberam potestatem, personas idoneas in Fratres, Conuersos, Oblatos, & Præbendarios prædicti Ordinis recipiendi, circa hæc quæ sunt munia, & prout ad nos noscuntur spectare officia præmissa faciendi, vbi & quando ac quoties vobis visum fuerit expedire. Ac etiam personas dicti Ordinis idoneas sufficientes & honestas in Canonicos creandi, secundum solemnitates debitas, & etiam requisita domus, & Fratres, Confratres, & Conuersos & alias quascunq; personas inferiorũ graduũ de loco ad locum mittendi & transmittendi, reuocandi, nec non Præpositos, Priores, Priorissas, ac cæteros Magistros, Ple-

banos & Administratores Domorum, Monasteriorum, Ecclesiarum hospitalium & aliorũ locorum dicti ordinis, si necessitas & honestas persuaserit, suis administrationibus suspendendi, deponẽdi, amouendi, & alios loco ipsorũ instituendi, totiens, quotiens vobis visum fuerit expedire. Damus insuper vobis earundẽ tenore præsentiũ, speciale cum plena potestate mandatum super bonis mobilibus & im̃obilibus Ordinis prædicti, & locorum prædictorum qualitercunq; alienatis, distractis, & obligatis, plenariè ingerendi. Et ea quæ alienata reperieritis, repetendi, recuperandi, & recipiendi, & ad ius & proprietatem & vtilitatem Ordinis, & locorum ipsorum & Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ad quam propriè spectare dignoscuntur, integraliter reducendi, responsiones seu pecuniarum quantitates, & pensiones, nobis pro prædictis locis, & à personis debitas, & alia quæcunque debita seu etiam legata petendi, exigendi, & recipiendi, ac etiam debitores nostræ iurisdictioni subiectos canonica cohibitione, & modo debito, ad soluendum & ad satisfaciendum per censuram Ecclesiasticã compellendi, & de receptis ac solutis finem & quietationem de vlterius non petendo faciendi, & pro prædi-

ctis omnibus & singulis agendi & defendendi in iudicio & extra iudicium, coram quibunscunque Iudicibus Ecclesiasticis vel Secularibus cōpetentibus, iurandi de calumnia & veritate dicenda, & quodlibet alterius generis iuramentum præstandi & recipiendi, & omnia alia, quæ in causis, litibus, quæstionibus, secundum iuris ordinem & consuetudinem exercenda sunt, & prout vtiliter fieri poterit faciendi, nec non & in causis componendi, paciscendi, transigendi & compromittendi, arbitros eligendi, & eorũ arbitria valandi, approbandi, & protestandi, & demum omnia alia & singula, tam per vos quam per alium seu alios, qui per vos substituti ad hoc fuerint, super quo vobis plenam concedimus facultatem faciendi, in prædictis & circa prædicta cum dependentiis & iis quæ fuerint necessaria, & vtilia, etiamsi mandatum exigant speciale, & quæ nosmet faceremus si præsentes essemus. Nos enim super omnibus & singulis cum plena potestate, tenore præsentiũ cõmittimus vices nostras, donec eas ad nos duxerimus reuocandas; promittentes nos ratum, gratum, & firmum perpetuo habituros, quæcunque per vos vel alium vestrum substitutum in præmissis & quolibet

præmisso-

præmissorum actum fuerit siue gestum, ac iudicio sisti & iudicatum solui, cum clausulis opportunis, sub hyppoteca & obligatione omnium bonorum prædictorum tantummodo. Et in fidem ac testimonium omnium præmissorum, præsentes literas siue præsens publicum instrumentum, subscribi & publicari mãdauimus, per nostrum publicum subscriptum, & vna cum signo & subscriptione ipsius consuetis nostriq́ Patriarchatus magni sigilli fecimus appensione communiri. Volumus etiam quod nostro sigillo stante & amoto istud præsens publicum instrumentum habeat robur & firmitatem. Datum & actum Romæ in Monasterio S. Iacobi de Sutigmano de Vrbe, sub Anno à Natiuitate Domini, Millesimo Ann: Christi, 1383. Trecentesimo Octuagesimo tertio, Indictione sexta, die vero tertia mensis Februarii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ sexti, Anno quinto. Præsentibus ibidem honoralibus & discretis viris, Domino Gasparo de Caldermis de Bononia Decretorum Doctore, & Aduocato pauperum in Romana Curia, & Francisco Fernandi Canonico Ecclesiæ Palentinensis, & literarum Aposto-

licarum Domini nostri Papæ prædicti scriptore, & quampluribus aliis fide dignis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Ioannes quondam Petri de Monasterio Magnæ vallis Clericus Ireueren: Diæcesis, Publicus Apostolica authoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis, dum sic vt præmittitur agerentur & fierent, vna cum prænominatis testibus præsens fui, eaque omnia & singula sic fieri vidi, & audiui, aliis occupatus negotiis, per alium fideliter scribi feci, & in hanc publicam formam redegi, vna cum appensione sigilli præfati Domini Patriarchæ, & de eiusdem mandato hic me subscripsi, signoq; meo solito & consueto signaui, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Cum vero Prior Perusinus soli muneris id sibi debere contendisset, exactionesq; indebitas à Conuentu Miechouien: repetere vellet, atq; eo nomine Præpositũ Miechouiensem ad Curiam Romanam euocasset, cuius rei extat in carthophilacio Conuentus Miechouien: totius causæ processus, in formam publici instrumenti redactus: Sedes Apostolica visis ac perspectis iuribus & immunitatibus Præpositi Miechouien: per auditorem causarum suæ Cameræ Apostolicæ, huiusmodi pro parte Præpositi Miechouiensis tulit decretum:

Christi nomine inuocato, pro tribunali sedentes & solum Deum præ oculis habentes, de Dominorum coadiutorum nostrorũ consilio & assensu, super hanc nostram definitiuam sententiam, quam ferimus in

his scriptis pronuntiamus, decernimus, & declaramus, oppositiones, molestationes, perturbationes, vexationes, inquietationes, & impedimenta prædictas & prædicta fuisse & esse temerarias, illicitas, & iniustas, temeraria, illicita & iniusta, ac de facto præsumptas ac præsumpta, ipsiq; domino Nicolao de Balionibus Priori Generali Ordinis prædicti, de & super oppositionibus, molestationibus, perturbationibus, vexationibus, inquietationibus, & impedimẽtis, ac prætensa annua pensione centum florenorum prædictorum, perpetuum silentium imponendũ fore & imponimus, dictumq; Præpositum Miechouien: qui pro tempore fuerit & est, ac ipsam Ecclesiã Miechouien: cum omnibus eius membris, fuisse & esse ab omni iurisdictione, potestate, & dominio prædicti D. Nicolai Prioris Generalis Ordinis S. Sepulchri Dominici, totaliter & perpetuo exemptos, soliq; Ecclesiæ Hierosolymitanæ & nulli alij subiectos, ipsumq; D. Præpositum ab impetitione dicti D. Nicolai Prioris absoluendum fore & absoluimus, condemnatione expensarum ex causa omittentes. Lecta, lata, & in scriptis promulgata fuit hæc præsens nostra definitiua sententia, per nos Ioannem de Tho-

mariis auditorem præfatum, Bononiæ in Ecclesia S. Petronii pro audientia causarum Apostolicarum specialiter deputata, nobis inibi mane hora causarum ad iura reddenda in loco nostro solito pro tribunali sedentibus, sub Anno à Natiuitate D. 1414 Indictione septima, die lunæ Vigesima prima Mensis Maij, Pontificatus Domini Nostri D. Ioannis Papæ XXIII. prædicti Anno quarto.

Præsentibus ibidem discretis viris Magnificis Ioanne de Breydbach, & Theodorico de Lync Notario publico scribaq; nostris clericis Colonien: Ciuitatis & Traiecten: Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis: quæ quidem nostra definitiua sententia postmodum nulla appellatione suspensa in rem transiuit iudicatam. Nos igitur præsentes literas seu præsens publicum instrumentũ, huiusmodi nostram definitiuam sententiam in se continentes seu continens exinde ferri, & per Petrũ Notar: publicum, nostrumq; & huiusmodi causæ coram nobis scribam infrascriptum subscribi & publicari mandauimus, nostriq; sigillo fecimus appensione communiri, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

CAPVT NONVM.

Conuentus Miechouien: ex sedis Apostolicæ Priuilegio, Parochiales Ecclesias licitè tenet, illiusque Præpositus Pontificalibus insigniis vtitur.

CONcludendo breui compendio, hoc nostrum de Ordine Canonico S. Sepulchri Domini Hierosolymitani susceptum negotium, ad declarandam peculiarem Conuentus Miechouien: prærogati-

uam, visum est coronidis vice, duo adhuc diplomata Bonifacij nempe Noni, & Ioannis Vigesimi tertij Summorum Pontificum superioribus Bullis adnectere. Quorum alter confirmando Bullam Vrbani IV. indulget Clericis Miechouien: in Ecclesiis Iurisdictioni suæ subiectis, curam & regimen animarum (non obstante quod hæ aliquando per sæculares clericos gubernarentur) licite posse obire. Alter mitra, pedoque Præpositos Miechouienses donat & exornat. Quod nos singulari erga Conuentum sedis Apostolicæ fauori, sub cuius patrocinio tutelaque Ordo noster perpetuo conquiescit, acceptum ferentes, easdem hic apponere censuimus.

Bonifacius Episcopus Seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sacræ Religionis sub qua dilecti filii Præpositus & fratres Domus S. Sepulchri de Miechouia ad Ecclesiam Hierosolymitanam spectantis, Ordinis S Augustini Cracouien: Diœcesis, deuotum ac sedulum exhibent Domino famulatum, promeretur honestas vt votis eorum, in his præsertim quæ ipsorum & dictæ Domus vtilitatem concernunt, quantum cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Ipsorum igitur Præpositi & fratrum supplicationibus inclinati, literas fælicis recordationis Vrbani Papæ IV. prædecessoris nostri eis olim concessis, quas in Cancellaria nostra diligenter inspici & præsentibus de verbo ad verbum, cum incipiant vetustate consumi inseri curauimus, auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, & præsentis scripti patrocinio cōmunimus, per hoc autē nullū ius eisdem Præposito & fratribus de nouo acquiri volumus, sed antiquū tantūmodo conseruamus. Tenor vero dictarum literarum talis est

Bonifacius 9. Neopolitanus, in Pōtificatum electus, anno 1389 sedit an: 14. mē: 1. obiit anno 1404. Hic circiter 30 annorum cum Pontificatū iniisset, fertur cōfirmaisse Festum visitationis Virginis Mariæ.

Vrbanus Episcopus Seruus seruorum Dei, dilectis filiis, Præposito & fratribus Ecclesiæ S. Sepulchri de

Miechouia ad Hierosolymitanā Ecclesiam spectantis, Ordinis S. Augustini Cracouien: Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ecclesiæ vestræ indempnitati paterna volentes in posterum sollicitudine præcauere, vt in Ecclesiis per Poloniam constitutis, inquibus Iuspatronatus habetis, positis per fratres vestros in sacerdotii vel aliis ordinibus, prout Ecclesiarum vestrarum onus exigit, constitutos facere deseruiri, etiamsi earum alicui cura sit animarum annexa, non obstante quod Ecclesiæ ipsæ consueuerunt aliquando per sæculares clericos gubernari, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum apud Montem Phiascon: VI Calend: Octobr: Pōtificatus nostri Anno secundo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, cōmunicationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei & SS.

Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum XII Calend: Iunii, Pontificatus nostri Anno nono.

Bulla Ioannis Papæ XXIII. vsum Pontificalium Præpositis Miechouien: concedens.

Ioannes Episcopus Seruus seruorum Dei, dilectis filiis Præposito & fratribus Domus Dominici Sepulchri Hierosolymitani Miechouien: per Præpositum soliti gubernari Cracouien: Diæcesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exigit vestræ deuotionis synceritas & religionis promeretur honestas, vt tam vos quos speciali dilectione prosequimur, quam Domum vestram dignis honoribus attollamus. Hinc est quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vt tu fili Præposite & successores tui dictæ Domus qui pro tempore fuerint, mitra, annulo, baculo, & dalmatica, ac aliis Pontificalibus insigniis libere possitis vti, nec non quod in præfata Domo & Domibus eidē Domui vestræ subiectis, ac Parochialibus & aliis Ecclesiis ad vos communiter vel diuisim pertinentibus, quamuis vobis pleno iure non subsint, benedictionem solemnem, post Missarum: Vesperarum, ac Matutinarū solemnia, dum modo in benedictione huiusmodi aliquis Antistes,

Ioannes PP. 13 Neapolitanus in Pōtificatum electus Anno 1410. sedit an: 5. dies 15. obiit anno 1417. Adolescens Bononię Ciuili pontificioq; iuri operam dedit. vbi assumpto Doctoratus gradu, Romam non sine spe Pōtificatus assequendi se contulit, interrogat⁹ enim ab amicis, quo proficisceretur, ad Pontificatum respondit.

vel sedis Apostolicæ Legatus præsens non fuerit, elargiri possitis, fælicis recordationis Alexandri IV. prædecessoris nostri, quæ incipit Abbates, *& aliis quibuscunq; constitutionibus Apostolicis in contrariũ editis, nequaquam obstantibus, vobis & eisdem successoribus auctoritate Apostolica de speciali gratia tenore præsentiũ indulgemus. Nulli ergo omnino hominũ, liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & SS. Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum 4 Calen: Octob: Pontificatus nostri Anno secundo.*

His ita de statu & antiquitate Ordinis Canonicorum S. Sepulchri Hierosolymitani breuiter expositis, reliquum est vt Præpositorum Miechouiensium penes quos suprema potestas vniuersi ordinis relicta esse dignoscitur, nomina & continuam ad præsens vsque tempus successionem, in conspectum fratrum producamus. Nec nos quidem gesta singulorũ prosequi exacte intendimus, quę merito librũ peculiarem sibi vendicare possent, sed solummodo nominibus ac temporibus, quo illorum aliquis electus sit, quoue clauserit diem extremũ, compendiose designatis. Cõmemoratis etiam breuissime ex authenticis rescriptis, in diuersis Regni prouinciis, Ecclesiarum Ordinis nostri fundati-

onibus

onibus &incrementis, miram, in conseruatione peruetusti Ordinis, Dei clementiam testatam mundo faciemus, simulq; animos iuniorum ad imitationem prædecessorum, qui veluti rutilantia sydera Ordinem sanctum, professione & religiosis moribus ornauerunt prouocabimus. Quanto autem cum desiderio ille præclarissimus orbis& vrbis Senator, Andreas S.R.E. Cardinalis Bathoræus Ordinis nostri quondã Præpositus Generalis amplissimus, id quod nos modo publici iuris facere decreuimus conspicere optauerit, ex literis ab vrbe in Conuen: Miechouien: missis, quarũ copiam Reueren: Dñus Tiburtius Iaskłovvski Ecclesiæ nostrę S. Ioannis ad Gnesam Præpositus, multis nominibus de Religione sancta, ac de meipso optime meritus, suppeditauit, quisq; facile intelliget, mecũq; Deo gratias aget; quod etiam nunc tam tristi& ærumnoso tẽpore, prouideat Ordini nostro tales Antistites, qui omnia ad prisci instituti normam reuocant, & conceptæ de sua virtute opinioni præclare respondent: quorum vitam & gubernationem piis Deo precibus nos quotidie cõmendare oportet. Interim Illustr: Cardinalis Epistolam in hunc modum conscriptam à nobis accipe.

ANDREAS CARDINALIS BATHOræus, Custodi MiechouiensiSalutem.

Scripseramus ante vnum vel alterum mensem F. V. vt seriem Præpositorum Miechou: descriptam ad nos in vrbem mitteret. Id eo consilio à nobis factũ

fuit,

fuit, vt certi aliquid ſcire poſsimus de prima Monaſterii erectione, à quibus, & quo fine inſtitutũ fuit. Iuſsimus in ſancta Vrbe diligenter perquiri, ſi quid eſſet quod ad Monaſterii Miechou: rationes pertineret, ſed nihil reperitur hactenus. Quo maiore ſtudio à F. V. poſtulamus, vt omnes angulos Monaſterii perueſtiget, ſi forte alicubi reperiatur aliquid, quod ad rem præſentem faciat, videtur enim Max: Pont: animum adieciſſe ad locum hunc fidei noſtræ concreditũ, ad Inſtituti ſui prima initia reuocandum. Cum veriſimile ſit, primos fundatores illius, id præ oculis maxime habuiſſe, vt cultus Dei incrementa magis ac magis ſumeret, & recte viuendi, bonorumq́ operum exempla in Monaſterio vigerent. Det operam quæſo, vt nobis hac in parte primo quoque tẽpore ſatisfiat, nosq́ de rebus Monaſterii per literas certiores reddat.

Romæ 17 Martij, Anno Domini, 1585.

